DE OPERARIORUM CANTILENIS GRAECIS

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE
UNIVERSITATIS LUDOVICIANAE GISSENSIS
RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

IOANNES HINRICHS
LICHTENAUENSIS

TYPIS WINTERIANIS
DARMSTADIAE MCMVIII

Ad philosophorum ordinem Gissensem de probanda dissertatione rettulit

Ricardus Wuensch

d. 13. m. Februarii a. 1907.

Ut omnibus fere, ita hisce imprimis temporibus docti viri scientiarum fines latius atque latius ducentes linguarum et artium primordiis lucem inferre studebant. Recentiorum autem scriptorum, qui rhythmicae artis initia expediebant, hi et illi nos docuerunt poesin primum prodesse maluisse quam delectare. Quanto haec sententia augebatur, tanto accrescebat studium eorum carminum, quae nos nomine «Arbeitslieder» significare et determinare consuevimus. De hac significatione ac de notionibus cum ea coniungendis infra agetur. Primum parumper a via digredi oportet, ut harum quaestionum causa et consilium magis fiant perspicua.

Operariorum enim cantilenas Graecas tractantes fructus bonos dignosque studio percipere non possumus, nisi de origine et incrementis poeseos Graecae nonnulla praemiserimus. Sed cum multi exstiterint viri docti, qui alii argumentis aliis artem poeticam Graecorum et nascentem et crescentem satis explicasse sibi visi sint, fieri non potest, quin hac re in lubricam regionem variarum et inter se discrepantium opinionum deducamur. Neque tamen has disceptationes evitare possumus, si omnino cognoscere cupimus, quanti in describenda litterarum historia operariorum versus habendi sint.

A primo initio artem poeticam Graecorum nobis repetentibus, quoniam reliqua testimonia silent, ex Iliade et Odyssea carminibus proficisci solemus. Quae carmina, qualia hodie sunt,

ex singulis partibus et iis sane antiquissimis confluxisse ab omnibus fere conceditur. Hae partes quibus fuerint argumentis et formis certe dicere non licet. Sed cum in illis ipsis carminibus Homeri nomine ornatis vestigia inveniantur, quibus in praeeuntis aetatis tempora deducamur, coniecturis quidem argumenta et ansae praebentur.

Locorum, quibus illa vestigia continentur, pauca exhibeamus. Achilles Graecis iratus ab iis, qui ut animum eius placarent missi sunt, in tentorio offenditur (Il. I 186 L):

τὸν δ᾽ εὗρον φρένα τερπόμενον φόρμιγγι λιγείῃ
καλῇ, δαιδαλέῃ, ἐπὶ δ᾽ ἀργύρεον ζυγὸν ἦεν·
τὴν ἄρετ᾽ ἐξ ἐνάρων, πόλιν Ἠετίωνος ὀλέσσας·
τῇ ὅ γε θυμὸν ἔτερπεν, ἄειδε δ᾽ ἄρα κλέα ἀνδρῶν.
Πάτροκλος δέ οἱ οἶος ἐναντίος ἧστο σιωπῇ,
δέγμενος Αἰακίδην, ὁπότε λήξειεν ἀείδων.

Phemium Graecorum tristes errores canentem Penelopa ita adhortatur (Od. α 337 L):

Φήμιε, πολλὰ γὰρ ἄλλα βροτῶν θελκτήρια οἶδας,
ἔργ᾽ ἀνδρῶν τε θεῶν τε, τά τε κλείουσιν ἀοιδοί·
τῶν ἕν γέ σφιν ἄειδε παρήμενος, οἱ δὲ σιωπῇ
οἶνον πινόντων· ταύτης δ᾽ ἀποπαύε᾽ ἀοιδῆς . . .

Similia leguntur in Od. α 153 sqq., ϑ 73 sqq. Quibus locis mentio fit carminum, quae regum vel clarorum virorum laudi celebrabantur. Unde elucet iam ante Homeri libros compositos Graecos poematis epici cuiusdam generis oblectatos esse. At non solum exstitisse constat illius modi carmina, sed etiam ita exculta fuisse, ut homines canendi et psallendi peritissimi in aulis regiis ea recitarent. Populi in ore haec carmina non erant neque popularibus plausibus serviebant. Ac putaveris ne Achillis quidem versus, quamquam ex tempore fusi sunt, speciem tulisse popularem. Achilles enim habebatur

Chironis discipulus et Musarum donis ante alios praeditus. Quae ille in tentorio suo componebat non minus erant polita quam artificiosa citharoedorum carmina.[1] Talia carmina ut gradatim efflorescerent ex illis primordiis, quibus homines agrestes atque simplices vel maiorum vel suas ipsorum res praeclare gestas incerta voce laudabant, magnum temporis spatium intercessisse necesse est. Quae respicientes in aetatem subducimur multo antiquiorem quam quae annorum modis terminari possit. Homines autem cultus, disciplinae, humanitatis muneribus nondum praeditos iam ea arte praecipue delectari, qua res mirifice gestae epico quodam modo enarrentur cum alii nos docent tum Ernestus Grosse in libro, quem scripsit de artis principiis[2], non paucis testimoniis illustrat.

Sed non habemus, quod aliis quoque artis poeticae generibus Graecos antiquissimos favisse negemus.[3] Quae sentiant homines quibusque animorum motibus afficiantur eo vocum cantu exprimitur, quem lyricum dicere solemus. A tali affectuum propriorum descriptione epici poetae ingenium licet abhorruerit, tamen Homerum iam novisse illud genus poeticum paucis locis indicatur.

In Achillis enim clipei simulacris describendis eorum agmen explicatur, qui fructibus demessis et perceptis domum redeunt (Il. Σ 569 sqq. L):

τοῖσιν δ' ἐν μέσσοισι πάις φόρμιγγι λιγείῃ
ἱμερόεν κιθάριζε, λίνον δ' ὑπὸ καλὸν ἄειδε

---

[1] Cf. Otto Seeck, *Die Entwickelung der antiken Geschichtschreibung*, Berlin 1898, p. 3 sqq.

[2] *Die Anfänge der Kunst*, p. 244 sqq.

[3] Sunt qui censeant post epicum demum ceteros canendi modos ortos esse. Cf. Elvenich, De generibus et aetatibus poesis Graecorum, Progr. Düren 1859; Guil. Christ, *Gesch. d. griech. Literatur*[4], p. 5; Joann. Flach, *Gesch. d. griech. Lyrik*, p. 2 sqq. alios. Ad Homerum certe testem his provocare non licet.

λεπταλέῃ φωνῇ· τοὶ δὲ ῥήσσοντες ἁμαρτῇ
μολπῇ τ' ἰυγμῷ τε ποσὶν σκαίροντες ἕποντο.

Verbo λίνον hic usurpato nobis persuadetur huius carminis argumenta alia fuisse ac κλέα ἀνδρῶν. Uberius de hoc loco infra p. 26 sqq. agetur.

Nuptialis carminis Il. Σ v. 493, epinicii Il. X v. 391 mentio infertur.

Calypsonem et Circam versato fuso stamina ducentes oblectamenti causa carmina cecinisse significatur Od. ε v. 61 sq. et κ v. 220 sq. Hos quoque versus infra p. 35 revolvemus. Interim satis sit statuisse Homericorum carminum aetate ut epicum genus poeseos ita quasi lyricum iam fuisse excultum. Sed haec quoque carmina lyrica eodem modo quo epica ex antiquiore initio eo perfectionis venerunt. In quaerendis autem his primordiis, cum ex antiquissimarum litterarum solis argumentis et sententiis certi nihil eruatur, alia ratione uti et metra quae vocamus spectare oportet.

Fortasse enim putet quispiam ea carmina, quae hodie nobis simplicissimam metri formam exhibere videntur, omnino fuisse antiquissima. Sed hoc falsum est. Cum Homeri et Hesiodi tum Archilochi Sapphus aliorum versus a rudioribus numerorum modis repetendi sunt. Quod ii demonstraverunt, qui posteriorum temporum varias metrorum formas in principales quasdam particulas dissolventes metricae quidem artis primordia aperire studuerint.[1] A quibus id quoque temptatum est demonstrare alium fontem epicorum, alios lyricorum carminum fuisse. Quod si verum est, rogandum est, quomodo factum

[1] Theod. Bergk, *Über das älteste Versmaß der Griechen*, Progr. Frib. 1854; Herm. Usener, *Altgriech. Versbau*, Bonn 1887. De singulis, quippe quae satis lubrica sint, acturus non sum; v. F. Solmsen, *Untersuchungen zur griech. Laut- und Verslehre*, Argentorati 1901.

sit, ut primum certa argumenta eaque diversa ad singulas formas illas pristinas alligarentur. Hac in re quaerenda quamquam recte iam in universum proposuit Aristoteles illud gaudium, quod poeseos numeris fieret, hominum ingeniis insitum esse et innatum[1], tamen neque ille neque qui similibus studiis institerunt veteres de natura numerorum satis accurate disseruerunt. Plerique dum numeris rhythmum quendam inesse perspiciebant, acquieverunt.

Cuius ῥυθμοῦ, quem Graeci dicunt, forma quin a ῥέω derivetur, nemo adhuc dubitavit.[2] Itaque scriptores Graeci voce ῥυθμός antiquitus nihil nisi fluctus progredientis deinde translaticio more progrediendi vel currendi vel saltandi quendam motum significabant.[3] Sed iam Plato, etsi ῥυθμόν in solis corporum motionibus nonnumquam posuit[4], de poeticae artis numeris interdum hanc vocem adhibuit.[5] Aristoteles autem, qui nisi de prosa oratione componenda ῥυθμὸν vocem non usurpavit, eam his verbis descripsit: ὁ δὲ τοῦ σχήματος τῆς λέξεως ἀριθμὸς ῥυθμός ἐστιν.[6]

Nova docuit Aristoxenus. Nam cum ῥυθμῷ quasi lege per se constante et linguarum syllabas et tibiarum modos et

---

[1] V. ex. gr. De poet. arte IV 6.

[2] Ern. Graf, ***Rhythmus u. Metrum,*** Marb. 1891, p. 1.

[3] Ibid. p. 2 sqq.

[4] E testimoniis ab Ernesto Graf collectis haec tria excipiam. Leg. II, p. 665 A: τῇ τῆς κινήσεως τάξει ῥυθμὸς ὄνομα εἴη, τῇ δ' αὖ τῆς φωνῆς ἁρμονία. Ib. p. 655 A: ἐν μουσικῇ καὶ σχήματα καὶ μέλη ἔνεστι περὶ ῥυθμὸν καὶ ἁρμονίαν οὔσης τῆς μουσικῆς. Ib. p. 660 A: ἀγαθῶν ἀνδρῶν ἔν τε ῥυθμοῖς σχήματα καὶ ἐν ἁρμονίαις μέλη.

[5] Ion p. 534 A: οἱ μελοποιοὶ οὐκ ἔμφρονες ὄντες τὰ καλὰ μέλη ταῦτα ποιοῦσιν, ἀλλ' ἐπειδὰν ἐμβῶσιν εἰς τὴν ἁρμονίαν καὶ εἰς τὸν ῥυθμὸν βακχεύουσιν. Res publ. III, p. 397 B: ἐάν τις ἀποδιδῷ πρέπουσαν ἁρμονίαν καὶ ῥυθμὸν τῇ λέξει.

[6] Rhet. III, p. 1408 B.

corporum motiones ῥυθμίζεσθαι censeret, primus ille a verbis apte et aequaliter vinctis seiunxit numerorum ipsam naturam.[1] Qua ratione tantum valuit Aristoxenus, ut posteriorum temporum scriptores rhythmici de via ab illo inita non decederent, sed in disputando de poeticis formis numeros tantum tractarent a verborum contextu nimis subtiliter secretos. Quo fit, ut nostri[2] quoque philosophorum more de numeris non male disserentes veteris poeseos metra magis inspiciant quam argumenta. Neque tamen canendi artis numeri et metra principalia satis illustrantur nisi qua occasione data quale argumentum canatur, simul observatur. Quod unius generis carminum origine praecipue probatur, operariorum dico cantilenas.

Homines in omnis cultus quasi infantia haerentes manuum et vocum usum artificiosum ad commoda imprimis et emolumenta nanciscenda adhibere solent. Ut depingendi et effingendi quaedam primordia in armorum instrumentorumque variis ornamentis indagantur, ita poeticae artis rudimentis id agebant homines ut, quae essent utilia et necessaria, redderent grata. Cuius rei cantilenae illae populares indicio sunt, quae laborum levamento usurpabantur. Talia cantica per longa et temporum et regionum spatia disseminata his demum temporibus accuratius tractata sunt. Ac primus quidem, quantum video, Otto Boeckel vir de popularium carminum historia bene meritus[3] operariorum cantilenas dignas habuit, quas diligentius inspiceret. Nam ut triumphalia et lugubria carmina

---

[1] Cf. Ῥυθμικῶν στοιχείων l. I, fr. II et III apud Rud. Westphal, *Die Fragmente und die Lehrsätze der griech. Rhythmiker*, p. 26.

[2] Recentiorum scriptorum hi nominentur. Godofr. Hermann, Elementa doctrinae metricae, p. 5 sqq.; Rud. Westphal, praeter librum modo allatum praef. p. 24, in *Allgem. griech. Metrik*, p. 183, 187; Guil. Christ, *Metrik d. Griechen u. Römer*, p. 2.

[3] V. eius *Deutsche Volkslieder aus Oberhessen*, Marb. 1888.

ita laborum solatium vocale vera et genuina poeseos primordia esse censuit.[1]

Maiore autem opera data Carolus Buecher in operariorum cantica inquisivit his usus rationibus.[2] Homines rudes et simplices et incultos nisi victus penuria ad labores tolerandos non stimulari. Sed quae molesta graviaque essent, ea excitatis numeris, qui in omnibus generibus laborum laterent, minus fieri odiosa. Nam cum sublatis et demissis operantium artubus iam metricae quaedam formae efficerentur, hilaritate et vigore homines incendi. Vocum autem vel tibiarum cantu declinationes motusque corporum dispensari atque fabrilium operum crepitum stridorem fragorem assimulari. Canticorum igitur numeros ad conficiendos labores primum applicatos et annexos fuisse ita quidem, ut ex laboribus omnis dirigendi vis duceretur. Quae cum ita essent, verum fontem poeticae et musicae artis laborem esse habendum.

Cum Buecheri sententiis ea fere congruunt, quae nuper Car. Theod. Preuss de origine artium protulit[3] quaeque hic non neglegenda esse putaverim. Homines, sic fere Preussius nos docet, ut primum cogitare coeperunt, facile intellegebant in omni labore ipsum laborem et crepitus motusque rhythmicos non solum una semper animadverti, sed laborem ipsum minus bene procedere, si rhythmici illi comitatus deessent. Ita factum est, ut rhythmo ipsi magica quaedam vis tribuere-

---

[1] L. c. praef., p. LX. Etiam in novo suo libro *Psychologie der Volksdichtung*, Leipzig 1906, Otto Boeckel ad has cantilenas redit. Nam ex numero earum duas excipit, ut probet primam suam et potissimam sententiam, „daß der Ruf, der kurze unmittelbare Ausbruch seelischer Erregung, die erste und älteste Form der Dichtung ist“ (p. 2), et „daß das Lied sich um die Rufe herum kristallisiert hat“ (p. 13). Haec ἀξιώματα infra antiquorum testimoniis confirmabuntur.

[2] *Arbeit und Rhythmus*[3], Leipzig 1902.

[3] *Globus*, tom. LXXXVII (1905), p. 333 sqq.

tur. Qua in re Preussio assentiar. Sed in operariorum canticis ab origine deducendis Preussius a via brevissima et commodissima aberrasse mihi videtur. Proficiscitur enim ab opinionibus et superstitionibus incultorum hominum, qui — ut multis agnosci putat exemplis — in vocum et clamorum omni genere magicum quoddam pondus ponere soleant. Cum autem verbum rudibus populis quasi idolum sit rei, iam enumeratione earum rerum, in quibus laborantes versentur, res ipsas arcessi ipsius laboris levamentum appeti: ita operariorum cantilenas esse ortas. Quibus in sententiis causarum ordinem mutandum esse censuerim. Vocibus, clamoribus, canticis tum demum magica vis tribuitur, cum cognitum est, quantum in laboribus conficiendis valeant. Antiquissimae operariorum cantilenae ad laborum motus et strepitus se applicantes rhythmum efferre et ita operam minuere student. Haec Buecheri doctrina retinenda videtur neque a Preussio corrigitur.

Eorum autem, quae Carolus Buecher de universae poeseos origine docte et ingeniose protulit, alia comprobanda alia reicienda esse videntur.[1] Nam ut concedamus metricae et musicae artis rudimenta ad certas et aequales motiones iure revocari, ut concedamus etiam illarum motionum plurimas in variis faciendis operibus posse evenire, hoc tamen deliberare oportet non solum in operum, sed etiam aliarum rerum natura constantes illos numeros apparere. Velut iam guttis ex tegulis stillantibus et maris undis ad litus appulsis certa temporis intervalla statuuntur. Cuculorum porro et lusciniarum

---

[1] V. *Literar. Zentralblatt* 1897, p. 495; Conr. Bruchmann, *Berliner philol. Wochenschrift* 1900, p. 54, et *Poetik*, Berol. 1898, p. 23, 31 sq.; Udalr. de Wilamowitz-Moellendorff, *Deutsche Literaturzeitung* 1900, p. 91; Ern. Grosse, *Zeitschrift für Sozialwissenschaft* 1900, p. 311; Hugo Jurenka, *Zeitschr. f. d. österr. Gymnasien* 1900, p. 223.

modi a simplicissima arte musica non ita alieni sunt.[1] Hi quoque nescio an testimonio sint, unam et solam causam numerorum non esse laborem. Ex illis igitur vocibus et canticis et versibus, quae cum operibus coniuncta erant, omnia canendi genera requiri non possunt. Sed ex fontibus poeseos quin hic lateat unus non dubitatur.[2] Haec summa a Buechero parta eo pluris ducenda est, quod — ut supra p. 4 ostendimus — talis finis aliis rationibus frustra appetebatur.

In numero documentorum, quibus Carolus Buecher sententias suas probavit, et aliarum gentium et Graecorum testimonia non pauca inveniuntur. Sed cum quae ille dispersis notis de operariorum cantilenis Graecis disseruit, iterato studio digna vel favente Minerva augenda esse viderentur, adductus sum, ut his rebus operam navarem. Romanorum etiam testimonia non praeteribo. Sed meum est, iam nunc librum Antonii Naegele laudare, qui exorsus ab ecclesiasticorum testimoniis

---

[1] Multum interest videre, quid antiqui scriptores de his rebus iam iudicaverint. Plato, leg. II 653 D censet: τὰ μὲν οὖν ἄλλα ζῶα οὐκ ἔχειν αἴσθησιν τῶν ἐν ταῖς κινήσεσιν τάξεων οὐδὲ ἀταξιῶν, οἷς δὴ ῥυθμὸς ὄνομα καὶ ἁρμονία· ἡμῖν δὲ . . . τοὺς θεοὺς . . εἶναι τοὺς δεδωκότας τὴν ἔνρυθμόν τε καὶ ἐναρμόνιον αἴσθησιν μεθ' ἡδονῆς. Quibus in verbis respiciendis Georgius Amsel, De vi atque indole rhythmorum, Diss. Vratisl. 1887, p. 14, haec affert: „Neque tamen omnem τάξεως αἴσθησιν a bestiis Plato abiudicare debuit. Nam omnia animalia in gradiendo et currendo certum servant ordinem, quo sublato iustus modus vix esse potest. Ac multo minus eas, quas ex musica voluptatem quandam percipere constat, bestias, velut equos, camelos maximeque aves cantatrices, rhythmi sensu destitutas esse censendum est.“ Atque Amsel suam sententiam hoc antiquorum testimonio optime fulcit: Longinus, Prolegomena ad Hephaestionis enchiridion, p. 84, 11, ed. Westphal = 2, 2 ed. Hoerschelmann: ὁ δὲ ῥυθμὸς γίνεται . . . καὶ χωρὶς συλλαβῆς . . . καὶ ἵππων δὲ πορεία ῥυθμὸς ἐνομίσθη . . καὶ τῶν ὀρνίθων τὰ πτερυγίσματα.

[2] Udalr. de Wilamowitz-Moellendorff, l. c.: *Eine Wurzel der Poesie und Musik ist so vorzüglich dargelegt, aber bei Leibe nicht die einzige Wurzel. Zu Homer und Archilochos führt hier kein Weg.*

de operariorum canticis satis novi protulit (*Berichte über die Verhandlungen der Königlich Sächsischen Gesellschaft der Wissenschaften zu Leipzig*, Bd. 57, III [1905]). Quem ad librum his in quaestionibus nonnumquam respicientes comprobanda multa deneganda pauca esse intellegemus.

Initium faciam a sententia quadam apud musicos Graecorum scriptores obvia. Hos enim in rebus poeticis versatos esse non mirum videtur, quoniam Graecorum carmina a musicis modis numquam fere distinguebantur. Illi autem, cum artem per se ipsam probari et contineri posse nescirent, hoc potissimum postulabant, ut utilia essent poemata.[1] Quae spectandi ratio, si quidem ad Graecae poeseos principia iure adhibetur, operariorum cantilenis aptissima est. Nam his canticis primum nihil petebatur, nisi ut certis numeris clamitatis laborantium animi iucunde afficerentur et levarentur. Quod et tibiarum vel fidium et verborum modis fieri poterat. Ac primum quidem nonnullis testimoniis hic confirmemus tibiis vel nervis Graecos ad operum solatium usus esse.

Pausanias cum agit de Messana urbe condita haec enarrat (IV 27, 7): καὶ τὴν μὲν τότε ἡμέραν πρὸς θυσίαις τε καὶ εὐχαῖς ἦσαν, ταῖς δὲ ἐφεξῆς τοῦ τείχους τὸν περίβολον ἤγειρον καὶ ἐντὸς οἰκίας καὶ τὰ ἱερὰ ἐποιοῦντο. εἰργάζοντο δὲ καὶ ὑπὸ μουσικῆς ἄλλης μὲν οὐδεμιᾶς, αὐλῶν δὲ Βοιωτίων καὶ Ἀργείων. τά τε

[1] Velut Plutarchus Aristoxeni et Heraclidis sententiis nisus Homerum iam eam ob causam summa laude dignum habuit, quod εἰς ὠφέλειαν καὶ βοήθειαν τὴν μεγίστην τοῖς καιροῖς προέλαβε μουσικήν (Περὶ μουσ. c. 40). Idem, cum disserit de loco illo, quo Homerus Achillem inducit cantu solatium sibi parantem, sic iudicat: τοιαύτη ἦν ἡ ἀρχαία μουσικὴ καὶ εἰς τοῦτο χρησίμη.

Σακάδα[1] καὶ Προνόμου[2] μέλη τότε δὴ προήχθη μάλιστα εἰς ἅμιλλαν.

Expugnatae urbis Athenarum muros a Lysandro tibiis canentibus esse disiectos ex Plutarchi intellegitur his verbis (Lys. c. 15): Ὁ οὖν Λύσανδρος ἐνδόντων τῶν Ἀθηναίων πρὸς ἅπαντα, πολλὰς μὲν ἐξ ἄστεως μεταπεμψάμενος αὐλητρίδας, πάσας δὲ τὰς ἐν τῷ στρατοπέδῳ συναγαγὼν τὰ τείχη κατέσκαπτε καὶ τὰς τριήρεις κατέφλεγε πρὸς τὸν αὐλὸν ἐστεφανωμένων καὶ παιζόντων ἅμα τῶν συμμάχων, ὡς ἐκείνην τὴν ἡμέραν ἄρχουσαν τῆς ἐλευθερίας. Quo loco tibiarum cantus non prorsus ipsius laboris comes apparet, sed ad eorum, qui vicerunt, pompam simul concinit.

Huc pertinere putaveris fabulam illam, qua Amphion sonantis lyrae opera muros Thebarum exstruxisse dicitur. Haec fabula ab Hesiodo (fr. 60 Rz.) primum relata a multis antiquis scriptoribus accepta est. Cuius origine et sententia miri nihil praebetur. Nam qui fabulam illam invenerunt idcirco nimirum lyrae magicam quandam vim tribuebant, quod intellexerant, quantum levamenti ex rhythmicis lyrae modis posset hauriri. Quocum conferas ea, quae de Preussii sententia supra p. 8 dicta sunt.

Athenaeus haec testatus est l. IV, p. 154 a: Ἐρατοσθένης δ' ἐν πρώτῳ Ὀλυμπιονικῶν τοὺς Τυρρηνούς φησι πρὸς αὐλὸν πυκτεύειν et XII, p. 518 b: ὑπὸ δὲ τῆς τρυφῆς οἱ Τυρρηνοί, ὡς Ἄλκιμος ἱστορεῖ, πρὸς αὐλὸν καὶ μάττουσι καὶ μαστιγοῦσιν. Quibuscum concordant Pollucis IV 55 haec verba: Τυρρηνοὶ δὲ τῷ Ἀριστοτέλους λόγῳ οὐ πυκτεύουσιν ὑπ' αὐλῷ μόνον, ἀλλὰ καὶ μαστιγοῦσι καὶ ὀψοποιοῦσιν.

---

[1] V. Paus. II 22, 8: (Σακάδας), ὃς τὸ αὔλημα τὸ Πυθικὸν πρῶτος ηὔλησεν ἐν Δελφοῖς.

[2] V. Paus. IX 12, 5: Προνόμος δὲ ἦν, ὃς πρῶτος ἐπενόησεν αὐλοὺς ἐς ἅπαν ἁρμονίας εἶδος ἔχοντας ἐπιτηδείως.

Certaminum Olympicorum origine disputata Pausanias sic pergit (V 7, 10): νικῆσαι δὲ ἄλλοι τε λέγονται καὶ ὅτι Ἀπόλλων παραδράμοι μὲν ἐρίζοντα Ἑρμῆν, κρατῆσαι δὲ Ἄρεως πυγμῇ. τούτου δὲ εἵνεκα καὶ τὸ αὔλημα τὸ Πυθικόν φασι τῷ πηδήματι ἐπεισαχθῆναι τῶν πεντάθλων, ὡς τὸ μὲν ἱερὸν τοῦ Ἀπόλλωνος τὸ αὔλημα ὄν, τὸν Ἀπόλλωνα δὲ ἀνῃρημένον Ὀλυμπικὰς νίκας. Hunc autem tibiarum cantum, quem cum saliendi certamine coniunctum esse Pausanias[1] commemoravit, melius quam Pausanias Philostratus interpretatus est (Gymnast. c. 55)[2]: ἁλτὴρ δὲ πεντάθλων μὲν εὕρημα. εὕρηται δὲ ἐς τὸ ἅλμα, ἀφ' οὗ δὴ καὶ ὠνόμασται, οἱ γὰρ νόμοι τὸ πήδημα χαλεπώτερον ἡγούμενοι τῶν ἐν ἀγῶνι τῷ τε αὐλῷ προσεγείρουσι τὸν πηδῶντα καὶ τῷ ἁλτῆρι προσελαφρύνουσιν.

Tibia remigandi quoque labor creberrime minuebatur. Quod iam proprio verbo τριηραύλης probatur, quo Graeci tibicinem in triremi significabant; velut Demosthenes de cor. 129: Ἀλλ' ὡς ὁ τριηραύλης Φορμίων, ὁ Δίωνος τοῦ Φρεαρρίου δοῦλος, ἀνέστησεν αὐτὴν ἀπὸ ταύτης τῆς καλῆς ἐργασίας. Videas praeterea Pollucis I 96, IV 71, Suidae vocem τριηρικὸν αὐλεῖν.

Tibicine concinente pistrices videmus panem depsentes in parva quadam effigie, quam Carol. Buecher libro suo quasi titulum proposuit. Hanc in publicum primum edidit E. Pottier Rev. arch. III. sér. Ann. XXXIV [1899], p. 11.

Lacedaemonios, cum in hostes se converterent, agminis ordinem et assiduitatem tibiarum modis direxisse Thucydides (V 69, 70), Plutarchus (Lyc. 21, 22), Polybius (IV 20, 12), Pollux (IV 78, 82) alii tradiderunt. Lucianus (Prom. 6) loquitur περὶ τοῦ ἐν ῥυθμῷ βαίνειν πρὸς αὐλόν atque Athenaeus (XIV p. 627 d) nos docet haec: οἱ ἀνδρειότατοι Λακεδαιμόνιοι μετ' αὐλῶν στρα-

---

[1] Eadem licet concludere ex Pausaniae V 17, 10; VI 14, 10.

[2] V. Frazeri vel Bluemneri et Hitzigii adnotationes ad Paus. V 7, 10 additas.

τεύονται, Κρῆτες δὲ μετὰ λύρας, μετὰ δὲ συρίγγων καὶ αὐλῶν Λυδοί, ὡς Ἡρόδοτος ἱστορεῖ (I 17).

At non tibiarum solum cantum, sed etiam vocum modos antiqui Graeci operibus accommodabant. Cuius rei quae exstant testimoniorum primum ea congeramus, quibus summatim operariorum cantilenae memorentur, deinde in singula genera earum accuratius animos intendamus.

In Athenaei l. XIV, p. 618c haec leguntur[1]: καὶ ᾠδῆς δὲ ὀνομασίας καταλέγει ὁ Τρύφων τάσδε (fr. 113 V.)· „ἱμαῖος ἡ ἐπιμύλιος καλουμένη, ἣν παρὰ τοὺς ἀλέτους ᾖδον, ἴσως ἀπὸ τῆς ἱμαλίδος.[2] ἱμαλὶς δ᾽ ἐστὶν παρὰ Δωριεῦσιν ὁ νόστος καὶ τὰ ἐπίμετρα τῶν ἀλέτων.[3] ἡ δὲ τῶν ἱστουργούντων ᾠδὴ αἴλινος[4] ὡς Ἐπίχαρμος ἐν Ἀταλάνταις ἱστορεῖ (I 93, fr. 14 Kaib.). ἡ δὲ τῶν[5] ταλασιουργῶν ἴουλος." Σῆμος δ᾽ ὁ Δήλιος ἐν τῷ περὶ Παιάνων[6] φησί (FHG IV 495)· „τὰ δράγματα τῶν κριθῶν αὐτὰ καθ᾽ αὑτὰ προσηγόρευον ἀμάλας[7]· συναθροισθέντα δὲ καὶ ἐκ πολλῶν μίαν γενόμενα δέσμην οὔλους καὶ ἰούλους. καὶ τὴν Δήμητρα ὁτὲ μὲν Χλόην[8], ὁτὲ δὲ Ἰουλώ. ἀπὸ τῶν οὖν τῆς Δήμητρος εὑρημάτων τούς τε καρποὺς καὶ τοὺς ὕμνους τοὺς εἰς τὴν θεὸν οὔλους καλοῦσι καὶ ἰούλους." δημήτρουλοι καὶ καλλίουλοι. καί· πλεῖστον οὖλον οὖλον ἵει, ἴουλον ἵει (c. pop. 1 B.).

ἄλλοι δέ φασιν ἐριουργῶν εἶναι τὴν ᾠδήν. αἱ δὲ τῶν τιτθευουσῶν[9] ᾠδαὶ καταβαυκαλήσεις[10] ὀνομάζονται. ἦν δὲ καὶ ἐπὶ ταῖς αἰώραις[11] τις ἐπ᾽ Ἠριγόνῃ, ἣν καὶ ἀλῆτιν λέγουσιν

---

[1] Utor editione a Georgio Kaibel curata.

[2] Kaibel: immo ἱμαῖος ἡ ἐπιμύλιος, ἣν . . ᾖδον, καλουμένη ἴσως.

[3] ἀλέτων cod. Marcianus (A) et epitoma Laurentiana (E), ἀλεύρων Hes., ἀλεύρων Kaibel.

[4] αἴλινος A, ἔλινος E. — [5] τῶν E, om. A. — [6] Παιώνων A.

[7] ἀμάλας A. — [8] χλόη A: corr. Mus.

[9] τιτθεουσῶν A, τιτθῶν E.

[10] καταβλυκαλήσεις A E: corr. Mus.

[11] ἑώραις libri, corr. Kaibel in adn.; cf. Wackernagel KZ 27, 276 sqq

ᾠδή.[1] Ἀριστοτέλης γοῦν ἐν τῇ Κολοφωνίων Πολιτείᾳ φησίν (fr. 467 R.)· „ἀπέθανεν δὲ καὶ αὐτός ὁ Θεόδωρος ὕστερον βιαίῳ θανάτῳ. λέγεται δὲ γενέσθαι τρυφῶν τις, ὡς ἐκ τῆς ποιήσεως δῆλόν ἐστιν. ἔτι γὰρ καὶ νῦν αἱ γυναῖκες ᾄδουσιν αὐτοῦ μέλη περὶ τὰς αἰώρας[2]“. [p. 619] ἡ δὲ τῶν θεριστῶν ᾠδὴ Λιτυέρσης καλεῖται. καὶ τῶν μισθωτῶν δέ τις ἦν ᾠδὴ τῶν ἐς τοὺς ἀγροὺς φοιτώντων, ὡς Τηλεκλείδης φησὶν ἐν Ἀμφικτύοσιν (I 212, fr. 7 K.)· καὶ βαλανέων[3] ἄλλαι, ὡς Κράτης ἐν Τόλμαις (I 141, fr. 38 K.)· καὶ τῶν πτισσουσῶν ἄλλη τις, ὡς Ἀριστοφάνης ἐν Θεσμοφοριαζούσαις (I 481, fr. 339 K.) καὶ Νικοχάρης ἐν Ἡρακλεῖ Χορηγῷ (I 771, fr. 6 K.)· ἦν δὲ καὶ τοῖς ἡγουμένοις τῶν βοσκημάτων ὁ βουκολιασμὸς[4] καλούμενος. Δίομος δ' ἦν βουκόλος[5] Σικελιώτης ὁ πρῶτος εὑρὼν τὸ εἶδος· μνημονεύει δ' αὐτοῦ Ἐπίχαρμος ἐν Ἀλκυόνι (I 92, fr. 4 Kaib.) καὶ ἐν Ὀδυσσεῖ Ναυαγῷ (I 110, fr. 105 Kaib.). ἡ δ' ἐπὶ τοῖς θανάτοις καὶ λύπαις ᾠδὴ ὀλοφυρμὸς καλεῖται. αἱ δὲ ἴουλοι καλούμεναι ᾠδαὶ Δήμητρι καὶ Φερσεφόνῃ πρέπουσι . . . . . . Ἀριστοφάνης δ' ἐν Ἀττικαῖς φησιν Λέξεσιν (p. 184 N.)· „ἱμαῖος ᾠδὴ μυλωθρῶν· ἐν δὲ γάμοις ὑμέναιος· ἐν δὲ πένθεσιν ἰάλεμος· λίνος δὲ καὶ αἴλινος οὐ μόνον ἐν πένθεσιν, ἀλλὰ καὶ «ἐπ' εὐτυχεῖ μολπᾷ» κατὰ τὸν Εὐριπίδην“.[6]

Athenaei verba respicientes facere non possumus, quin miremur de magna copia propriorum nominum, quae certis operariorum cantilenis attributa sint. Quae nomina Athenaei auctores non adhibuissent, nisi illae ᾠδαί[7] tam bene cultae

[1] ᾠδήν A: corr. Kaibel. — [2] ἑώρας libri corr. Kaibel in adn.
[3] βαλανείων A E, corr. Dalecamp. — [4] βουκολισμός E.
[5] βουκόλος ὁ E, ὁ βουκόλος A: corr. Kaibel.
[6] Eur. Herc. 348: αἴλινον μὲν ἐπ' εὐτυχεῖ μολπᾷ Φοῖβος ἰαχεῖ.
[7] Frider. Ritschl opp. I, p. 249: *Der engeren Bedeutung der* ᾠδή *kömmt am nächsten unser Lied, Volkslied, als kunstloses Erzeugnis augenblicklicher Stimmung, Laune oder Begeisterung, fortgepflanzt im Munde des Volkes, ohne den musischen oder chorischen Kunstaufwand der feierlichen Lyrik.*

fuissent, ut distinguentibus quibusdam notionibus opus esse iis videretur.

Ex iisdem fontibus, qui Athenaeo erant ad manus, Pollux in Onomast. IV 53 sqq. suam doctrinam hausisse videtur. Quo loco primum et alia genera carminum et haec operariorum cantica enumerantur[1]: ἐπιλήνια, ἐπιλοίμια, ἐμβατήρια, ἴουλοι, οὐλαμοί, οὔπιγγοι, λίνος, deinde hae sententiae asseruntur: ἐπιμύλιος ᾠδὴ ἱμαλὶς καὶ ἱμαῖος, ὁ δ' ᾄδων ἱμαοιδός. βώριμος δὲ Μαριανδύνων γεωργῶν ᾆσμα, ὡς Αἰγυπτίων μανέρως, καὶ λιτυέρσας Φρυγῶν. ἀλλ' Αἰγυπτίοις μὲν ὁ Μανέρως γεωργίας εὑρετής, Μουσῶν μαθητής, Λιτυέρσας δὲ Φρυξίν· οἱ δ' αὐτὸν Μίδου παῖδα εἶναι λέγουσιν, εἰς ἔριν δ' ἀμητοῦ προκαλούμενον μαστιγῶσαι τοὺς ἐνδιδόντας, βιαιοτέρῳ δ' ἀμήτῃ περιπεσόντα αὐτὸν θάνατον παθεῖν. οἱ δ' Ἡρακλέα γεγενῆσθαι τὸν ἀποκτείνοντα αὐτὸν λέγουσιν. ᾔδετο δ' ὁ θρῆνος περὶ τὰς ἅλως κατὰ τὸ θέρος ἐπὶ Μίδου παραμυθίᾳ. ὁ δὲ Βώριμος ἦν Ἰόλα καὶ Μαριανδύνου ἀδελφός, Οὐπίου βασιλέως παῖς, ἐν θήρᾳ νέος ὥρᾳ θέρους ἀποθανών. τιμᾶται δὲ θρηνῴδει περὶ τὴν γεωργίαν ᾄσματι. ἦν δέ τι καὶ ἀλῆτις ᾆσμα ταῖς αἰώραις προσᾳδόμενον, Θεοδώρου ποίημα τοῦ Κολοφωνίου. καί τι καὶ ἐπιλήνιον αὔλημα ἐπὶ βοτρύων θλιβομένων, καὶ ἕτερον πτιστικόν, ὡς Φρύνιχος ἐν Κωμασταῖς φησιν ὁ κωμικός (I 374, fr. 14 K.)·

ἐγὼ δὲ νῶν δὴ τερετιῶ τι πτιστικόν·

καὶ Νικοφῶν ἐν τοῖς Χειρογάστορσιν (I 779, fr. 17 K.)·

ἀλλ' ἴθι προσαύλησον σὺ νῷν πτισμόν τινα.

καὶ ἐρετικὰ δή τιν' αὐλήματα καὶ ποιμενικά. Ἐπίχαρμος δὲ (I 229, fr. 210 Kaib.) καὶ πυκτικόν τι μέλος αὐλεῖσθαί φησι, Πλάτων δ' ὁ κωμικός (I 659, fr. 211 K.) καὶ συβωτικόν·

ὅτι δ' ἂν ἡ συβώτρια, μηδ' ἀγαθὴ γένοιτό μοι
ἔχειν δοκεῖ μοι δακτύλους αὐλητικούς.

---

[1] Erici Bethe sequor lectionem (Pollux, tom. prior Lipsiae 1900).

Τυρρηνοὶ δὲ τῷ Ἀριστοτέλους (fr. 467, 605) λόγῳ οὐ πυκτεύουσιν ὑπ' αὐλῷ μόνον, ἀλλὰ καὶ μαστιγοῦσι καὶ ὀψοποιοῦσιν.

Neque Athenaeus neque Pollux ullam litteram consumpserunt, qua ostenderetur, quanti momenti ipsorum aetate cantilenae illae fuissent. Quo maioris ecclesiasticorum scriptorum duo testimonia habenda sunt, quibus manifestum fit post Christum natum quarto vel quinto saeculo operariorum cantica illa Graeca nondum fuisse extincta.

Nam Joannes Chrysostomus in homilia in psalmum 51 haec protulit (Migne, Patrol. Graec. opp. Chrysost. V, p. 156)[1]: Οὕτω γοῦν ἡμῶν ἡ φύσις πρὸς τὰ ᾄσματα καὶ τὰ μέλη ἡδέως ἔχει καὶ οἰκείως ὡς τὰ ὑπομάζια παιδία κλαυθμυριζόμενα καὶ δυσχεραίνοντα οὕτω κατακοιμίζεσθαι. Αἱ γοῦν τίτθαι ἐν ταῖς ἀγκάλαις αὐτὰ βαστάζουσαι, πολλάκις ἀπιοῦσαί τε καὶ ἐπανιοῦσαι καί τινα αὐτοῖς κατεπᾴδουσαι ᾄσματα παιδικά, οὕτως αὐτῶν τὰ βλέφαρα κατακοιμίζουσι. Διὰ τοῦτο καὶ ὁδοιπόροι πολλάκις κατὰ μεσημβρίαν ἐλαύνοντες ὑποζύγια ᾄδοντες τοῦτο ποιοῦσι τὴν ἐκ τῆς ὁδοιπορίας ταλαιπωρίαν ταῖς ᾠδαῖς ἐκείναις παραμυθούμενοι. Καὶ γηπόνοι ληνοβατοῦντες καὶ τρυγῶντες καὶ ἀμπέλους θεραπεύοντες καὶ ἄλλο ὁτιοῦν ἐργαζόμενοι πολλάκις ᾄδουσι. Καὶ ναῦται κωπηλατοῦντες τοῦτο ποιοῦσιν. Ἤδη δὲ καὶ γυναῖκες ἱστουργοῦσαι καὶ τῇ κερκίδι τοὺς στήμονας συγκεχυμένους διακρίνουσαι, πολλάκις μὲν καὶ καθ' ἑαυτὴν ἑκάστη, πολλάκις δὲ καὶ συμφώνως ἅπασαι μίαν τινὰ μελῳδίαν ᾄδουσιν. Ποιοῦσι δὲ τοῦτο καὶ γυναῖκες καὶ γηπόνοι καὶ ναῦται τῷ ᾄσματι τὸν ἐκ τῶν ἔργων πόνον παραμυθήσασθαι σπεύδοντες, ὡς τῆς ψυχῆς,

---

[1] De hoc Chrysostomi loco imprimis disputavit Ant. Naegele l. c.; sed quod is contendit Chrysostomi verba antea esse neglecta (p. 101), equidem eorum virorum memoriam revocaverim, qui Chrysostomi testimonium iam adhibuerant: Otto Boeckel l. c., p. LXI, et Herm. Reich, *Der Mimus* I 397, de quo v. Ric. Wuensch, *Hess. Bl. f. Volkskunde, Bd. II*, p. 77 sq.

εἰ μέλους ἀκούσειε καὶ ᾠδῆς, ῥᾷον ἅπαντα ἐνεγκεῖν δυναμένης τὰ ὀχληρὰ καὶ ἐπίπονα.

Quae hic enumeratur materia tanta est, ut facile suspiceris, Chrysostomum antiquorum cuidam fonti vel grammatico vel rhetorico sua debere. Quod tamen ab Antonio Naegele l. c. p. 120 refellitur; qui, etsi ex divinis libris ecclesiastici doctrinam studet derivare, non potest denegare Chrysostomum ipsius auribus illa cantica audivisse. Hoc autem plurimum nostra interest.

Philostorgius in historiae ecclesiae parte a Photio tradita de Arii arte canendi haec facit verba (hist. eccles. II 2, Migne P. G. 65, p. 466)[1]: Ὅτι τὸν Ἄρειον ἀποπηδήσαντα τῆς ἐκκλησίας φησὶν ᾄσματά τε ναυτικὰ καὶ ἐπιμύλια καὶ ὁδοιπορικὰ γράψαι καὶ τοιαῦθ' ἕτερα συντιθέντα εἰς μελῳδίας ἐντεῖναι, ἃς ἐνόμιζεν ἑκάστοις ἁρμόζειν διὰ τῆς ἐν ταῖς μελῳδίαις ἡδονῆς ἐκκλέπτων πρὸς τὴν οἰκείαν ἀσέβειαν τοὺς ἀμαθεστέρους τῶν ἀνθρώπων.[2] Quae testimonia criticis notis adhuc repressis deinceps attuli, ne comparandi desideraretur copia.

Iamiam in singulas operariorum cantilenas diligentius inquirentes, cum alia disponendi ratio non facile inveniatur[3], eo ordine utamur, ut Athenaei potissimi illius testis sententias

---

[1] V. Ant. Naegele l. c., p. 125.

[2] Isidori quoque episcopi Latini hic mentio inseratur, qui in origin. III 16 sic iudicat: *Ad tolerandos quoque labores musica animum mulcet et singulorum operum fatigationem vocis modulatio consolatur.* Quibus verbis Giraldus Cambrensis haec addidit: *Unde et plerumque mechanicarum artium operarii sibi laboris solatium cantilenae remedio quaerunt* (opp. V 157). Protulit haec testimonia Otto Boeckel l. c., p. LXI. Augustinus, De op. monach. 17, 20 (Migne, P. L. 40, 565): *Cantica divina cantare etiam manibus operantes facile possunt et ipsum laborem tamquam celeumate consolari* (Naegele l. c., p. 119).

[3] Carolus Buecher cantica ad aequos numeros alligata seiunxit ab iis, quae continentur numeris inter se distantibus. Vereor, ne hac subtili ratione in exiguis Graecorum fragmentis uti non possimus.

aliam post aliam examinare et quam maxime supplere incipiamus.[1]

Itaque primum de himaeo nostrum est disputare.

Ad cantilenarum genus voce ἱμαῖος significatum duorum testium verba ab Athenaeo relata sunt: καὶ ᾠδῆς δὲ ὀνομασίας καταλέγει ὁ Τρύφων[2] τάσδε· ἱμαῖος ἡ ἐπιμύλιος καλουμένη, ἣν παρὰ τοὺς ἀλέτους ᾖδον, ἴσως ἀπὸ τῆς ἱμαλίδος, et paulo infra: Ἀριστοφάνης[3] δ' ἐν Ἀττικαῖς φησι Λέξεσι· ἱμαῖος ᾠδὴ μυλωθρῶν. Eadem Pollux (IV 53), Bachmanni Lexicon (s. v. ἱμαῖος), Eustathius (p. 1885, 23 sqq.) tradiderunt.

Ἱμαῖος igitur molaria hic dicitur cantilena. Atqui de verbi ἱμαῖος radice cogitanti illud ἱμάω venit in mentem, quo ex puteo aquam haurientium actio describitur.[4] Itaque non pistorum, sed aquatorum cantilenam voce ἱμαῖος primum denotatam esse existimaveris. Quae coniectura probatur scholiastae ad Aristoph. Ran. v. 1297 hac adnotatione: καλεῖται τὸ ᾆσμα, ὃ ᾄδουσιν οἱ ἀντληταί, ἱμαῖον. Καλλίμαχος· ἀείδει καὶ πού τις ἀνὴρ ὑδατηγὸς ἱμαῖον. Callimachi, qui hic citatur, versus Hecalae quodam fragmento in lignea tabula quarti p. Chr. n. saeculi inscripto recurrit. Conferas Th. Gomperz, *Aus der Sammlung der Papyrus Erzherzog Rainer*, tom. VI, p. 12, ubi in col. IV inde a v. 10 haec leguntur:

καδδραδέτην δ' οὐ πολλὸν ἐπὶ χρόν[ον,] αἶψα γὰρ ἦλθεν
στιβήεις ἄγχουρος· „ἴτ', οὐκέτι χεῖρες ἔπαγροι

[1] Neque tamen constat omnia operariorum opera numeris carminum convenisse. Τὰ τῶν στήμονας διακρινουσῶν (v. supra p. 17) ἔργα certa erant ἄρρυθμα.

[2] A. v. Velsen, Tryphonis gramm. Alex. fragmenta, Berol. 1853, fr. 113.

[3] A. Nauck, Arist. Byz. gramm. Alex. fragmenta, Halle 1848, p. 148.

[4] Bachm. Lex: ἱμᾶν καὶ ἱμεῖν· ἀντὶ τοῦ ἀντλεῖν. Ath. VIII, p. 352 a: ἐν Πέλλῃ δὲ πρὸς φρέαρ προσελθὼν ἠρώτησεν εἰ πότιμόν ἐστιν. εἰπόντων δὲ τῶν ἱμώντων „ἡμεῖς γε τοῦτο πίνομεν“, „οὐκ ἄρ', ἔφη, πότιμόν ἐστιν“.

φιλητέων· ἤδη γὰρ ἑωθινὰ λύχνα φαείνει·
[ἄ]είδει καί πού τις ἀνὴρ ὑδατηγὸς ἱμαῖον·
ἔγρει καί τιν' ἔχοντα παρ[ὰ] πλόον οἰκίον ἄξων
τετριγὼς ὑπ' ἄμαξαν, ἀνιάζουσι δὲ πυκνοὶ
[δμ]ῶοι χαλκῆες κωφώμενοι ἔν[δον] ἀκουήν.

Diversas quas cognovimus de himaeo sententias posteriorum temporum scriptores confundebant et verbo ἱμαῖος utramque notionem subiciebant. Quod ex Hesychio et Suida intellegitur. Hesychius enim tradit haec: ἱμαῖος· ᾠδὴ ἐπιμύλιος καὶ ἐπαντλεῖος[1] καὶ ἐπίνοστος, et Suidas: ἱμαῖον ᾆσμα· τὸ ἐπὶ τῇ ἀντλήσει λεγόμενον παρὰ τὸ ἱμᾶν, οἱ δὲ τὸ μυλωθρικόν . . . ἱμαῖος, ἡ ἐπιμύλιος ᾠδή.

Unius eiusdemque vocis qui hic apparet duplex usus nescio an ex ipsius iam Tryphonis testimonio ab Athenaeo relato enucleari possit. Ille enim postquam ἱμαῖον pistorum cantilenam esse dixit, verbi formam accuratius ita definivit: ἴσως ἀπὸ τῆς ἱμαλίδος· ἱμαλὶς δ' ἐστὶν παρὰ Δωριεῦσιν ὁ νόστος καὶ τὰ ἐπίμετρα τῶν ἀλέτων. Voce ἱμαλίς re vera designata esse τὰ ἐπίμετρα τῶν ἀλέτων, i. e. quod molis admetiuntur, cognoscitur, cum similis forma ἱμάλιος ab Hesychio pro πολύς vel δαψιλής tradatur. Vocem νόστος quomodo antiqui grammatici interpretari studuerint, ex Eustathii (p. 1885, 25) elucet his verbis: λέγει δὲ νόστον ὁ ῥήτωρ (Ἀθήναιος) ἐνταῦθα οὐ τὸν Ὁμηρικὸν καὶ συνήθη. ἀλλά τινα δαίμονα ἐπιμύλιον ἔφορον τῶν ἀλετῶν, ὃς καὶ εὔνοστος ἐλέγετο.[2]

De Εὐνόστῳ idem (p. 214, 18): ὅτι δὲ καὶ θεός τις ἐπιμύλιος Εὔνοστος ἐκαλεῖτο ἐν τοῖς εἰς τὴν Ὀδύσσειαν γέγραπται.

---

[1] ἐπαντλεῖος (ἐπαντλέω i. e. haurio) docti viri iure scripserunt pro obscura Hesychii forma: ἐπανταῖος.

[2] Ex eiusdem generis fonte Hesychii καὶ ἐπίνοστος (ἐπίνοστος i. e. depravatum pro εὔνοστος) manasse videntur.

Hesychius s. v.: ἀγαλμάτιον εὐτελὲς ἐν τοῖς μύλωσιν, ὃ δοκεῖ ἐφορᾶν τὸ ἐπίμετρον τῶν ἀλεύρων, ὅπερ λέγεται νόστος.

Talia ἀγαλμάτια ab opificibus in tabernis quasi ἀποτροπαῖα collocabantur, quae malas fascinationes repercuterent.[1] De forma autem illius sigilli figurati, quod apud pistores in usu erat, nescio an quid certi dicere liceat. Nam in Et. M. 394, 4 s. v. εὔνοστος· θεὸς ἐπιμύλιος ἡ δοκοῦσα ἐφορᾶν τὸ μέτρον τῶν ἀλεύρων. Erat igitur dea quaedam Εὔνοστος, cuius tutela pistores utebantur, ne falsis frumentis deciperentur. Hanc deam eandem esse atque Ἄρτεμιν ἐπιμύλιον Crusius (in Rosch. lex. s. v. Eunostus) bene coniecit. Notionem nominis Εὔνοστος G. Curtius (Leipz. Stud. I 151) nostrae linguae voce *Gutertrag* reddidit. Trypho autem, dum simplex a quo derivatur εὔνοστος adhibet vocabulum νόστος, id expressisse videtur, quod nos dicimus *Ertrag*.

Ita Eustathii interpretatio explicatur, quae eam ob causam in suspicionem vocanda erat, quod antiquorum scriptorum ne uno quidem testimonio νόστος pro εὔνοστος probatur.

Si vero voce ἱμαλίς Dorice ὁ νόστος καὶ τὰ ἐπίμετρα τῶν ἀλέτων signabantur, fieri poterat, ut verbum ἱμαῖος propter formarum affinitatem ad molarias res extenderetur et ad molarium canticum adhiberetur. Huic translationi et favebant haec: aquandi et molendi labores id habebant simile, quod uterque cum certis torquendi motionibus coniunctus erat. Unde concluseris cantilenis laborantium etiam rhythmos similes et similia fuisse argumenta.

---

[1] Cf. Er. Pernice, *Festschrift für Otto Benndorf*, Wien 1898, p. 77 sqq., cuius haec imprimis respicias testimonia. Bekker, Anecd. p. 30, 5: βασκάνιον, ὃ οἱ ἀμαθεῖς προβασκάνιον. ἔστι δέ τι ἀνθρωποειδὲς κατασκεύασμα, βραχὺ παρηλλαγμένον τὴν ἀνθρωπείαν φύσιν, ὃ πρὸ τῶν ἐργαστηρίων οἱ χειρώνακτες κρεμαννύουσι τοῦ μὴ βασκαίνεσθαι αὐτῶν τὴν ἐργασίαν. Pollux VII 108: πρὸ δὲ τῶν καμίνων τοῖς χαλκεῦσιν ἔθος ἦν γελοῖά τινα καταρτᾶν ἢ ἐπιπλάττειν ἐπὶ φθόνου ἀποτροπῇ.

Sic Tryphonis verba perspicua fiunt neque contextum eorum commutare opus est.[1]

Intelleximus igitur ἱμαίῳ primum nihil aliud dictum esse nisi aquatorum canticum. Cuius cantici exiguam imaginem sibi possunt animo fingere, qui Aristophanis Ranarum diligentius inspexerunt versus inde a 1285. Quo loco Euripides Aeschyleum canendi tenorem in ludibrium vertit sic:

ὅπως Ἀχαιῶν δίθρονον κράτος, Ἑλλάδος ἥβας.
  τοφλαττοθραττοφλαττοθρατ.
Σφίγγα δυσαμεριᾶν πρύτανιν κύνα πέμπει.
  τοφλαττοθραττοφλαττοθρατ.
σὺν δορὶ καὶ χερὶ πράκτορι θούριος ὄρνις.
  τοφλαττοθραττοφλαττοθρατ.
κυρεῖν παρασχὼν ἰταμαῖς κυσὶν ἀεροφοίτοις.
  τοφλαττοθραττοφλαττοθρατ.
τὸ συγκλινὲς ἐπ' Αἴαντι.
  τοφλαττοθραττοφλαττοθρατ;

Quibus verbis exauditis Dionysus Aeschylum interrogat:
τί τοφλαττοθρατ τοῦτ' ἐστίν; ἐκ Μαραθῶνος, ἢ
πόθεν συνέλεξας ἱμονιοστρόφου μέλη;

Quos ad versus a scholiasta haec annotata sunt: ἱμονιοστρόφου· οἷον σχοινιοστρόφου μέλη ἃ εἰκὸς ἄνδρα ὕδατα ἀρυόμενον ᾄδειν. ἱμονιὰ γὰρ καλεῖται τὸ τῶν ἀντλημάτων σχοινίον, καὶ τὸ ᾆσμα, ὃ ᾄδουσιν οἱ ἀντληταί, ἱμαῖον. Scholiastam hic aquatorum cantilenae memoriam male attulisse Fritschius censet (comment. ad Aristoph. Ran., p. 392). Nam cum ἱμονιοστρόφος aeque ac σχοινιοστρόφος restionem significaret, Aristophanem allusisse ad restiarii cantilenas, „quae si non minus longae essent funibus ipsis, quos torqueret, cum

---

[1] Velut Koester, De cantilenis popularibus veterum Graecorum, diss. Berol. 1831, p. 81, volebat scribens: ἱμαῖος καὶ ἱμάλιος καλουμένη, ἣν παρὰ τοὺς ἀλέτους ᾖδον.

praelongis illis Aeschyli versibus, qui praecederent, aptissime compararentur". Versus igitur ἱμονιοστρόφου μέλη[1] dici, quia supra modum extenti essent.

Hanc sententiam, quam Kockius quoque in Ranarum editione secutus est, equidem non probaverim. Nam etsi a Polluce VII 157 σχοινιοστρόφος καὶ ἱμονιοστρόφος simul in artificum numero ponuntur[2], tamen respiciendum est, voce ἱμονιά scorteum illum funem describi[3], quo situla in puteum demittebatur et tollebatur. Affine quidem vocabulum ἱμάς semper fere lorum e corio exsectum, non tortum significat. Aquatoris autem erat στρέφειν τὴν ἱμονιάν i. e. trochlea situlam elevare. Ita potuit fieri, ut verbo ἱμονιοστρόφος aquator significaretur.

Neque etiam intellego, quidnam causae sit, quod Dionysus Aeschyli illos versus nimis longos esse indicet.

Quibus rebus reputatis scholiastae interpretationem salvam esse voluerim. Agnoscuntur autem aquatorum cantici reliquiae in Aristophanis illis:

τοφλαττοθραττοφλαττοθρατ
τοφλαττοθραττοφλαττοθρατ.

Quae verba, quamquam omnino sensu carent, tamen operariorum cantilenarum prae se ferunt id insigne et peculiare, ut quadam voce duplicata et iterata certi efficiantur numeri. Cuius generis versuum Carolus Buecher magnam copiam collegit.[4]

---

[1] Comparatur a Fritschio Philostrati σχοινοτενής, Heroic. p. 747 (Kayser II, 214): καὶ ἄλλως σοφὸν ἐν ταῖς λυρικοῖς ᾄσμασι τὸ μὴ ἀποτείνειν αὐτά, μηδὲ σχοινοτενῆ ἐργάζεσθαι.

[2] Nullam aliam sane ob causam, nisi quod σχοινίον et ἱμονιά in eodem saepe usu erant.

[3] Suid. s. v.: Τὸ δὲ φρέαρ, ἅτε ὀρεινὸν ὄν, κοῖλον ἦν καὶ βαθύ, ὥστε δεῖν ἱμονιᾶς μακρᾶς· οἱ δὲ αὐτὸ ἀντλητήριον· παρὰ τὸν ἱμάντα. Similiter Hes., Phot. s. v. Videas Athenaeum quoque III 125 a, IV 170 c et Poll. X 31.

[4] Quae Buecher l. c., p. 214 de his rebus disseruit, verbotenus afferre liceat: *Das hau hau! der Lhoosai, das yo ho! und ho ho! der indischen*

Quod ad rhythmos attinet, hoc metrum licet constituere:

◡ — ◡ — ◡ — ◡ —

(◡ propter φ + λ et ϑ + ρ, quibus litteris apud Aristophanem positio non efficitur).[1]

Qui numeri si neglecta quantitate leguntur:

X X́ X X́ ‖ X X́ X X̀

forma exsistit satis aequalis, quae ad torquendi motum facile accommodatur. Voces autem illae obscurae rotarum strepitum et funium perfrictionem non male imitantur. Non tamen pro integra cantilena hos numeros habemus, sed, ut iam ex Aristophanis loco elucet, exiguas quasdam reliquias intercalarias.

Iamiam de ἐπιμυλίῳ ᾠδῇ agamus, quam ipsam quoque ἱμαῖον dictam esse vidimus. Quod genus cantilenarum priusquam tractamus, molarum de structura et specie pauca praemoneantur. Hac in re auctorem sequor Hugonem Bluemner, qui in libro suo *Technologie und Terminologie der Gewerbe und Künste bei Griechen und Römern*, I, p. 24 sqq., de antiquorum molis uberius disseruit. Tria antiquitus in usu erant molarum genera, ut quaeque aut hominum aut animalium aut aquarum vi movebatur. Nostrae quaestionis plurimum ea obtinet, quam homines ipsi versare solebant. Manualis haec mola instructa erat duobus lapidibus, quorum alter cavatus alterum metae similem tegebat et, cum manibus circumagebatur, frumenti grana trudebat et obterebat. Antiquissimis tem-

Kuli, das ao pho pho! der Siamesen, das hu hu! ahu! der Chinesen, das nā sā ayē, ønaa! der Japaner, das haha ē! hihi ē! der Neuseeländer, das haha, hihi, hehe! der schwarzen Bootsleute auf dem Tanganyika, das hihi beii, hoho beii! der Boomätscher an der Elbe, das ai da, da! der Burlaken an der Wolga sind Laute, wie sie immer und überall die gepreßte Brust bei rascher, schwerer Kraftaufbietung ausstößt, sinnlos, unwillkürlich und doch mit dem Gefühle der Erleichterung.

[1] V. Meineke, Hist. crit. com. I 294.

poribus, cum pistores nondum nec furnaria pistrina exstarent, quaque in domo mola manualis inveniri poterat. Molendi officia feminae praestabant.[1] Postea, cum a domesticis occupationibus molendi artificium segregatum esset, ad hunc difficilem et operosum laborem servi adhibebantur.

Feminas molentes communis laboris solatium ita quaesivisse, ut cantilenas canerent, scholiasta ille testatur, qui ad Aristophanis Nubium v. 1356 cum alia adnotavit tum haec: ᾄδουσι δὲ αἱ ἀλήθουσαι ὑπὲρ τοῦ παραπέμψασθαι τὸν κάματον.

Ac tradita est cantilena quaedam molaria, quae a Lesbiis mulieribus cantabatur, in Plutarchi Septem sapientium convivii c. 14. Versus sunt hi:

Ἄλει μύλα ἄλει
καὶ γὰρ Πιττακὸς ἀλεῖ[2]
μεγάλας Μιτυλάνας βασιλεύων.[3]

Cuius cantilenae versus[4], quia translaticiis metris non possent accommodari, ad mensuram accentuum panctos esse Ritschelius in Reisigii iudicio nisus putavit (Opp. I, p. 299). Quam opinionem Bergkius quoque secutus est (P. L. Gr.[4] III, p. 672). Neque vero propter unum exemplum arbitrari licet Graecos umquam metricam artem a syllabarum mensura non repetisse.[5] Cum autem Wilamowitzio ne mutata quidem

---

[1] V. Odyss. υ 106 sqq.

[2] ἀλεῖ codd. ἄλει coni Koester l. c. Quam coniecturam Ritschelius Opp. I, p. 299 refutavit. — [3] V. Aelianum quoque V. H. VI 4.

[4] Hos versus a Clearcho per Hermippi quasi cribrum ad Plutarchum effluxisse Udalr. de Wilamowitz-Moellendorff nos docuit (Hermes XXV, p. 226).

[5] Graeci accentuum modis tum demum metiri solebant, cum christianorum carminum religiosorum artem metricam noverant. De hac re v. Guil. Meyer, *Abhandl. d. Königl. Bayr. Akademie d. Wissensch.* XVII, tom. II, cl. I. Nec Romanorum versus Saturnius accentuum numeris utebatur. Quod nuper mihi quidem probavit Frider. Leo, *Der Saturnische Vers, Abhandl. d. Königl. Ges. d. Wissensch. Göttingen,* tom. VIII, Nr. 5.

lectione contigerit, ut Ionicos versus emendate statueret, quidam numeri hic latere videntur, qui, cum hausti sint ex molitorum motionibus, accuratius explanari non possunt. Qua opinione non destiterim, etiamsi concedo contextum verborum a Plutarcho propagatum non integrum esse et genuinum.[1]

Sed alia quoque ratione admoneor, ut definitum de metro iudicium retineam: Hubertus Pernot magnum numerum carminum popularium recentioris Graeciae in Chio insula collegit et in *Nouvelles archives des missions scientifiques, XI* (1903) palam fecit. Illius viri verba, quae quidem in l. s. p. 120 sq. leguntur, liceat hic exscribere: *Un fait est établi dès maintenant, grâce aux études de M. Bourgault-Ducoudray: la plupart de ces airs modernes sont construits d'après les principes de gammes antiques. Dès lors, une disparition totale de l'ancienne musique, chez un peuple aussi conservateur que les Grecs, apparaît comme assez invraisemblable; là où le fond de la langue et des traditions est demeuré le même, le fond musical aussi a pu rester intact. Plutarque nous a transmis les paroles d'une chanson dite par une femme de Lesbos comme accompagnement à la meule:*

Ἄλει, μύλη, ἄλει
καὶ γὰρ Πιττακὸς ἀλεῖ . . .

La meule en question est celle qu'on tourne à la main, la χειρομύλη. *Or c'est encore de cette manière qu'on moud le blé dans le nord de Chio et sans doute aussi à Mytilène; l'instrument, dont on se sert, s'appelle* χερόμυλος, *les noms de ses diverses parties sont tous grecs, et les femmes chantent, en moulant, des paroles comme celles-ci:*

Ἄλεθε, μύλε μ' ἄλεθε, κλιθάρι καὶ σιτάρι,
νὰ παντερευτῇ ἡ λυγερή, νὰ πάρῃ παλληκάρι.

[1] V. Wilamowitzii iudicium l. c, p. 226.

Dans de telles conditions, il n'est pas téméraire de supposer que la mélodie, elle aussi, est un reste de l'antiquité.

Exstant igitur hodie quoque in Graecia cantilenae quaedam molariae antiquorum illi exemplo simillimae. Si autem cantantur haec carmina, contextus eorum iteratis vocibus et mutatis mutatam assumit speciem. Hoc iudicium alio manifestatur cantico populari, quod ipsum quoque Pernotii studiis debetur. Cuius verba, si leguntur, sunt haec:

Ἄλεθε, μύλο μ' ἄλεθε σιτάριν καὶ κλιθάρι
ἄλεθε καὶ σγουρὰ μαλλιὰ μὲ τὸ μαργαριτάρι.

Si cum musicis modis haec verba coniunguntur, sic distrahuntur (Pernot. l. s., p. 208):

Ἄλεθε, μύ — ἄλεθε, μύλο μ' ἄλεθε σιτάριν
καὶ κλιθάρι, σιτά, σιτάρι καὶ κλιθάρι
ἄλεθε καὶ ἄλεθε καὶ σγουρὰ μαλλιὰ μὲ τὸ
μαργαριτάρι, μὲ τό, μὲ τὸ μαργαριτάρι.[1]

Tales igitur cantilenae aliter leguntur atque canuntur. Quae sententia fortasse etiam ad Plutarchi illud Lesbium canticum adhibenda est. Nam Plutarchus in argumentis tantum et verbis haerebat, musicos modos neque respiciebat neque propagare poterat. Haec autem reputantes de metri quae exstant lacunis non miramur. Certi numeri facile eruuntur, sed hi numeri non facile in certi metri vincula rediguntur.

Atqui Wilamowitzius l. c. sibi visus est in versibus:

Ἄλει μύλα ἄλει
καὶ γὰρ Πιττακὸς ἀλεῖ
μεγάλας Μιτυλάνας βασιλεύων

[1] Hi modi a Pernotio in phonographicae quam dicimus machinae cylindro inscripti sunt.

inde a verbis καὶ γάρ Ionicum cognovisse metrum:

— — — | ⏑ ⏑ — —

⏑ ⏑ — ᴨ | ⏑ ⏑ — — | ⏑ ⏑ — —.

Quod certum esse elucet; ac re vera Ionici numeri torquendi motionibus aptissimi sunt. Quales autem antecedant numeri vix potest dici, cum illi litterae α (in vocativo μύλα) ab Aeolicis brevis mensura data sit. Sed non fecerim cum Wilamowitzio, qui Aeolicum aliquod colon hic latere opinatur. Nam rebus modo pensitatis supervacaneum et inutile esse mihi videtur in metro diligentius quaerendo tempus terere et operam.

Alberechtus Dieterich in libro suo *Abraxas* (*Leipzig* 1891) p. 79 ex Pap. Mag. Paris. v. 3086 sqq. locum exscripsit, ubi molario cantico magicum quendam effectum attributum esse invenimus: μαντεία Κρονικὴ ζητουμένη καλουμένη. μυλάριον λαβὼν ἁλὸς χοίνικας δύο ἀληθέτω χειρομυλίῳ λέγων τὸν λόγον πολλάκις, ἕως ὁ θεός σοι ὀφθῇ. .... ὁ δὲ λόγος ὁ λεγόμενος ἀλήθοντός σού ἐστιν οὗτος· λόγος· σε καλῶ τὸν μέγαν ἅγιον τὸν κτίσαντα γῆν σύμπασαν οἰκουμένην, ᾧ τὰ ἀνόμιμα ἐγένετο ὑπὸ τοῦ ἰδίου τέκνου, ὃν ὁ Ἥλιος ἀδαμαντίνοις κατέδησε δεσμοῖς, ἵνα μὴ τὸ πᾶν συγχυθῇ, ἀρσενόθηλυ, βροντοκεραυνοπάτωρ, ὃς καὶ τῶν ὑπὸ γῆν κατέχεις αιεοι παίδολις, φρενοτειχειδω στυγᾴδης σανκλεον γενέχρονα κοιραψαϊ κηριδεν θαλαμνια ὀχεῦτα ἀνεδει, ἐλθὲ, δέσποτα, θεὲ καὶ λέγε ἐν ἀνάγκῃ περὶ τοῦ Δ πράγματος. ἐγὼ γάρ εἰμι ὁ ἀποσταθείς σοι, παιδόλης μαινόλης μαινολιεύς· ταῦτά ἐστι τὰ λεγόμενα τοῦ ἁλὸς ἀληθομένου.

In verbo βροντοκεραυνοπάτωρ Dieterichius metricae cuiusdam formae reliquias agnovit. Maioris momenti est, quod ille dixit de vocibus παιδόλης, μαινόλης, φαινόλης et aliis huius loci verbis obscuris.

Putat enim haec verba certi sensus et notionis iam eam ob causam non indigere, quod ea nihil fuerint nisi versuum supplementa rhythmica. Equidem aliter iudicaverim. Nam

mihi illae voces, quamvis sint obscurae, totius λόγου quasi radices esse videntur. Sunt sane exempla et residua incertarum exclamationum, quibus operarii molentes laborem suum prosequebantur. Quae praeterea leguntur aeque ac argumentum magicum sensim annexa sunt.[1]

Voce λίνος vel αἴλινος Graeci genus quoddam carminum significabant, quorum argumenta principalia ad Linum praematura morte absumptum antiquitus referebantur. Lugubris illorum carminum natura iam versibus indicari videtur Hesiodo attributis (Fr. 112 Rz):

Οὐρανίη δ' ἄρ' ἔτικτε Λίνον πολυήρατον υἱόν,
ὃν δή, ὅσοι βροτοί εἰσιν ἀοιδοὶ καὶ κιθαρισταί,
πάντες μὲν θρηνοῦσιν ἐν εἰλαπίναις τε χοροῖς τε
ἀρχόμενοι δὲ Λίνον καὶ λήγοντες καλέουσιν.[2]

Pausania teste Pamphos et Sappho Οἰτόλινον simul et Adonidem cecinisse dicebantur (IX, 29): Πάμφως δέ, ὃς Ἀθηναίοις τῶν ὕμνων ἐποίησε τοὺς ἀρχαιοτάτους, οὗτος ἀκμάζοντος ἐπὶ τῷ Λίνῳ τοῦ πένθους Οἰτόλινον ἐκάλεσεν αὐτόν. Σαπφὼ δὲ ἡ Λεσβία τοῦ Οἰτολίνου τὸ ὄνομα ἐκ τῶν ἐπῶν τῶν Πάμφω μαθοῦσα Ἄδωνιν ὁμοῦ καὶ Οἰτόλινον ᾖσεν. Nostra non interest eorum, quae de Lini rebus diversi dissimiliter narrarunt[3], hic habere subtilem rationem. Nobis explicandum est, quonam

---

[1] V. quod supra in ann. p. 7 de Boeckelii sententia dictum est.

[2] Inveniuntur hi versus in schol. ad Homeri Il. Σ 570 cod. Townl. ex rec. Ern. Maass, p. 279.

[3] Lini historiam ab Hesiodo relatam (Οὐρανίη δ' ἄρ' ἔτικτε Λίνον) non ab omnibus veteribus eandem esse acceptam ex Eustathii hoc loco apparet (p. 1164): ἡ δὲ ἱστορία καὶ τρεῖς παραδίδωσι Λίνους, τὸν τῆς Καλλιόπης, καὶ τὸν τοῦ Ἀπόλλωνος καὶ Χαλκιόπης, καὶ τὸν Νάρκισον. Recentiorum scriptorum, qui de Lino copiose disseruerunt, hos adii: Welcker, *Kl. Schr.* I, p. 1 sqq.; Brugsch, *Die Adonisklage und das Linoslied* Berol. 1852; Stammer, *De Lino, Diss. Bonn.* 1855; Greve in Roscheri *Mythol. Lexic.* II, p. 2060 sqq.

iure ille λίνος operariorum cantilenarum in numero collocetur. Sed per deverticula finem petere oportet.

Iam Homerus, ubi in Achillis clipeo describendo vindemiatores inducit uvis messis domum redeuntes lini carminis facit mentionem (Il. Σ 569 sqq. L.)[1]:

τοῖσιν δ' ἐν μέσσοισι πάις φόρμιγγι λιγείῃ
ἱμερόεν κιθάριζε, λίνον δ' ὑπὸ καλὸν ἄειδε
λεπταλέῃ φωνῇ· τοὶ δὲ ῥήσσοντες ἁμαρτῇ
μολπῇ τ' ἰυγμῷ τε ποσὶν σκαίροντες ἕποντο.

Quibus versibus scholiastae uberes commentarios et criticos et historicos ascripserunt. Nomen ipsum in scholiis Townleianis sic explanatur (rec. Ern. Maass, p. 279): λίνον· οἳ μέν, ὅτι τὸ πρῶτον ἀντὶ χορδῶν λίνῳ ἐχρῶντο πρὸς τὴν κιθάραν ἀπομείναντος τοῦ ὀνόματος — ὡς καὶ λίθον τὴν ἄγκυραν καλοῦσιν ἕως νῦν — οἳ δέ, ὅτι ὡς ἀγροῖκος ὁ παῖς λίνον ἐνετετάκει τῇ κιθάρᾳ. Similiter in schol. cod. Venet. A.[2] Hanc interpretationem grammaticam reiciendam esse iam Joann. Stammer (l. c. p. 1) monuit. Nam Graecae linguae usui repugnat ὑπὸ λίνον ἀείδειν dicere pro „fidibus accinere".

Non multo maioris scholiastarum doctrina historica ducenda est. Narrant enim Philochoro auctore Linum, qui chordis primum usus esset, ab Apolline concisum et Thebis sepultum esse. Atque legimus in schol. cod. Venet. B (ex rec. Dind. III, p. 200) a Musis eum deploratum esse hoc cantico: ὦ Λίνε θεοῖσι τετιμημένε, σοὶ γὰρ πρώτῳ μέλος ἔδωκαν ἀθάνατοι ἀνθρώποισι φωναῖς λιγυραῖς ἀεῖσαι. Φοῖβος δέ σε κότῳ ἀναιρεῖ, Μοῦσαι δέ σε θρηνέουσιν. Scholia Townl. autem (ex rec.

---

[1] De hoc loco Homerico, quem iam supra attulimus, C. Hentze egit in Philol. L, p. 374 sqq.

[2] ἤτοι τὸ λίνον ᾖδεν ὃ ἐξῆπτο ἀντὶ τῆς νευρᾶς τῆς κιθάρας (rec. Dind. tom. II, p. 177).

Ern. Maass, p. 279) tradunt in sepulcro Thebanis exstructo hos versus inscriptos fuisse:

ὦ Λίνε πᾶσι θεοῖσι τετιμένε, σοὶ γὰρ ἔδωκαν
ἀθάνατοι πρώτῳ μέλος ἀνθρώποισιν ἀεῖσαι
ἐν ποδὶ δεξιτερῷ. Μοῦσαι δέ σε θρήνεον αὐταὶ
μυρόμεναι μολπῇσιν, ἐπεὶ λίπες ἡλίου αὐγάς.[1]

Contextum carminis a scholiastis diverse citati Bergkius (P. L. Gr.[4] III, p. 654) utriusque testimoniis collatis sic restituit, ut paroemiaci legerentur. Atque summam huius cantici antiquitatem ille ex ipsis paroemiacis versibus conclusit, qui hexametri partes vetustissimae habendae essent.[2] Censuit Bergkius aeque iam auctorem tituli a scholiasta cod. Townl. traditi iudicasse, quippe qui diceret Lini carmina ἐν ποδὶ δεξιτερῷ cantata esse. Antiquos enim scriptores metricos priorem partem versus heroici δεξιόν, alteram ἀριστερόν appellavisse.

Bergkius scholiorum argumentis nimis auctoritatis attribuit. Ad veritatem propius accedimus, si hexametros cod. Townl. genuinos et carmen cod. Ven. B. mutilatum esse putamus.[3] Illi versus autem ut omnes de Lini fabulae posteriore demum aetate inventi sunt. Nam scimus eiusmodi narratiunculas non paucas pervulgatas fuisse, ut verba inusitata vel obsoleta ita fierent perspicua.[4] Neque vero credibile est fabulam de Lino

---

[1] Hos versus Eustathius p. 1163 a scholiasta recepit.

[2] Cf. Frider. Leo l. c., p. 71.

[3] V. Udalr. de Wilamowitz-Moellendorff, *Herakles* II², p. 85: *Diese Verse mögen wohl so alt sein wie die Erwähnung des Hesiod; sie besagen nichts mehr, als daß Linos der Erfinder der Weise „im rechten Takte“* (ἐν ποδὶ δεξιτερῷ) *gewesen sei und die Musen ihm Klagelieder singen.* ἐν ποδὶ δεξιτερῷ *wird also das Original des vorliegenden Liedes gewesen sein, oder auch dieses selbst. Die Bedeutung des musikalischen Ausdrucks ist dunkel.*

[4] V. eundem l. s. et Ern. Maass, Herm. XXIII, p. 303 sq.

excogitatam esse temporibus ab Homero tam longe remotis, ut ille iam vocem λίνος tamquam carminis significationem a personae nomine Λίνος posset abstrahere.[1]

Fabulis igitur, quas scholiastae reservarunt, de natura carminis λίνος certi nihil expeditur. Itaque neglectis illis testimoniis verba λίνος vel αἴλινος grammatice interpretari[2] et inde lucem petere opus est.

Qua in re Brugschius l. c. a voce αἴλινος proficiscitur, qua lugubres exclamationes apud Graecos signatae sunt. Atque opinatur quidem eam ex Semitarum *ailanu* „vae nobis" ortam esse, qua in Palaestina, Babylonia, Cypro Adonidis interitus deploratus esset. Simul cum Adonidis cultu exclamationem quoque illam in Graeciam translatam esse. Sed Brugschii sententia iam eam ob causam in dubium incidit, quod Adonidis caerimoniae Homeri et Hesiodi temporibus in Graecia nondum erant frequentatae.[3]

Non plus valent eae sententiae, quas protulit E. de Lasaulx.[4] Nam censet voce λίνον filum Parcae antiquitus dictum esse eaque mortem omnibus hominibus communem. Ita formam masculinam Λίνος quasi symbolum miseri illius fati factam esse. Sed antiquissimi Graeci tales rationes a sensu et aspectu secretas nimirum non habebant.

Godofr. Welcker[5] observavit litteris λλ, si brevibus vocalibus coniungerentur, ut in aliarum gentium linguis ita in Graecorum quoque sermone lugubres quosdam animi affectus exprimi. Atque cum delegat ad Aegyptiorum lamentabilem vocem „lululu" et Romanorum verbum „ululare" et Germanorum sub-

---

[1] V. Joann. Stammer l. c., p. 2.

[2] Sed aliter sane ac scholiastae fecerunt.

[3] V. Stammerum l. c.

[4] *Die Linosklage, Studien d. klass. Altertums*, p. 345 (*Würzburg* 1843).

[5] l. c., p. 10.

stantivum *Leid*, ille vir doctus ex Graecorum lamento ἐλελεῦ vocabula ἐλέλινος, ἔλεινος, ἔλινος, λίνος derivare studet.

Welckerum grammatica sua interpretandi ratione rectam viam ingressum esse dixerim. Verba λίνος, αἴλινος ex clamosis quibusdam particulis efficta et ad has radices referenda esse mihi videntur.[1] Neque magni interest, utrum elementa principalia magis fuerint consonantia (ἐλελεῦ, ἐλελινευ) an vocalium litterarum (αἴ, εἴ) vis praevaluerit.

Sed neque Brugschius neque Welckerus satis respexerunt, quanam occasione data illae exclamationes sonuerint. Quod si statuissent, facile intellexissent non ex omnibus de λίνῳ carmine testimoniis lugubrem eius naturam elucere.

Atque constat sane apud tragicos vocem αἴλινον in lugubri usu versari (Aesch. Ag. 120, 137, 154, Sophocl. Ai. 627 cum scholio, Eurip. Hel. 171). Sed iam Aristophanes grammaticus Eurip. Herc. fur. v. 348 subnisus οὐ μόνον ἐν πένθεσιν, ἀλλὰ καὶ ἐπ' εὐτυχεῖ μολπᾷ illum λίνον vel αἴλινον conceptum esse refert. Scholiasta ad Eurip. Orest. v. 1390 καὶ ἐπὶ θρήνου καὶ ὕμνου linum usurpatum esse dicit; Hesychius s. v. αἴλινος: ὕμνος, θρῆνος; Et. M. s. v. αἴλινον: τοῦτο ἐπὶ θρήνου ἐτίθετο, καὶ ἐν ἐφυμνίοις. Quae qui reputat lini carminis tantum lugubrem naturam fuisse vix habuerit pro vero. At vera lini indoles iis versibus explanari videtur, qui a scholiasta ad Hom. Il. Σ 570 cod. Townl. Hesiodo addicuntur:

(Λίνον),
ὃν δή, ὅσοι βροτοί εἰσιν ἀοιδοὶ καὶ κιθαρισταί,
πάντες μὲν θρηνοῦσιν ἐν εἰλαπίναις τε χοροῖς τε
ἀρχόμενοι δὲ Λίνον καὶ λήγοντες καλέουσιν.

Unde elucet modis et in initio et in fine cuiusvis carminis ponendis αἴλινον vel simile quoddam cantatum esse. Inter-

[1] Idemque iudicant Stammerus et Wilamowitzius l. s.

calarie igitur hae voces ponebantur. Intercalares scilicet numeri simplicibus et naturalibus vocabulis iterum atque iterum clamitatis nonnumquam exoriri solent. Itaque verbis λίνος vel αἴλινος tamquam natis ex incertis conclamandi vocibus eae cantilenae significari poterant, quae illis exclamationibus intercalarie ornatae erant.

Atqui scimus in mechanicis operibus, sive a singulis conficiuntur sive a pluribus coniunctim, corporum contentione vagarum vocum quandam eiectionem effici. Quae voces, cum numerose asseruntur, ipsius laboris solatio esse possunt. Quodsi Homerus l. s. s. vindemiatores inducit linum canentes, inde intellegimus homines agresti operi intentos αἴλινον olim clamitasse sicut ἐλελεῦ[1] similiave et ita laboris levamentum quaesivisse. Quod Homerus ipse indicare videtur:

τοὶ δὲ ῥήσσοντες ἁμαρτῇ
μολπῇ τ' ἰυγμῷ τε ποσὶν σκαίροντες ἕποντο

Vindemiatores igitur puerum fidibus canentem verbis exsultantibus — et intercalaribus quidem — prosequebantur. In illo cantico, quamquam ab ipso rusticorum opere hoc loco secretum est, operariorum simplices numeri permanserunt. Quibus rebus pensitatis antiquorum testimonia non iam dissentiunt neque est, cur Pollucis his verbis fidem recusemus (I 38): Λίνος δὲ καὶ Λιτυέρσης σκαπανέων ᾠδαὶ καὶ γεωργῶν.

Hucusque linum interpretati nondum omnes effugimus disceptationes. Nam restat, ut Athenaei (l. s.) hoc testimonium explicetur: ἡ δὲ ἱστουργούντων ᾠδὴ αἴλινος, ὡς Ἐπίχαρμος ἐν Ἀταλάνταις ἱστορεῖ (fr. 14 Kaib.).

Quinam verbum αἴλινος notionem acceperit hic apparen-

---

[1] Cf. Stammerum l. s., p. 14. Mannhardt, *Wald- und Feldkulte*, p. 273 sq., 217, 266.

tem priusquam examinemus, in ipsas ἱστουργούντων cantilenas inquiramus.

De nendi et texendi variis negotiis si antiquorum testimonia[1] contuleris, hoc munus antiquitus feminis gerendum fuisse intelleges.[2] Mulierum autem lanas trahentium quaedam cantilenae a Graecis scriptoribus memorantur.[3] Velut iam apud Homerum (Od. ε v. 61 sqq. L.) de Calypsone:

ἣ δ' ἔνδον ἀοιδιάουσ' ὀπὶ καλῇ,
ἱστὸν ἐποιχομένη χρυσείῃ κερκίδ' ὕφαινεν,

et (Odyss. κ 220 sqq. L.) de Circa:

ἔσταν δ' ἐν προθύροισι θεᾶς καλλιπλοκάμοιο,
Κίρκης δ' ἔνδον ἄκουον ἀειδούσης ὀπὶ καλῇ,
ἱστὸν ἐποιχομένης μέγαν, ἄμβροτον, οἷα θεάων

[1] V. Hug. Bluemner l. s. I, p. 96 sqq.

[2] Quamquam Lucretii obsistit sententia (V, 1352):

et facere ante viros lanam natura coegit
quam muliebre genus: nam longe praestat in arte
et sollertius est multo genus omne virile.

V. Bluemner l. s., p. 99.

[3] Ex Romanorum testimoniis haec alligentur. Tibullus II 1, 61:

Rure etiam teneris curam exhibitura puellis
Molle gerit tergo lucida vellus ovis,
Hinc et femineus labor est, hinc pensa colusque,
Fusus et adposito pollice versat opus.
Atque aliqua adsiduae textrix operata Minervae
Cantat, et adplauso tela sonat latere.

Vergilius Georg. I 291 sq.:

interea longum cantu solata laborem
arguto coniunx percurrit pectine telas.

Sim. Georg. IV 435.

Ovidius, Trist. IV 1, 13:

cantantis pariter, pariter data pensa trahentis
fallitur ancillae decipiturque labor.

λεπτά τε καὶ χαρίεντα καὶ ἀγλαὰ ἔργα πέλονται.
τοῖσι δὲ μύθων ἦρχε Πολίτης, ὄρχαμος ἀνδρῶν,
ὅς μοι κήδιστος ἑτάρων ἦν κεδνότατός τε·
ὦ φίλοι, ἔνδον γάρ τις ἐποιχομένη μέγαν ἱστὸν
καλὸν ἀοιδιάει — δάπεδον δ' ἅπαν ἀμφιμέμυκεν —
ἢ θεὸς ἠὲ γυνή· ἀλλὰ φθεγγώμεθα θᾶσσον.

Quorum locorum alter maioris momenti est. Portae domus clausae sunt, ut ex v. 230 elucet:

ἡ δ' αἶψ' ἐξελθοῦσα θύρας ὤιξε φαεινὰς . . .

Tamen Politem deam texere ex cantu iam procul intellegentem videmus. Ergo concludimus modos quosdam singulares et ab aliis velut cantu molario diversos illi indicio esse.

De talibus modis certi aliquid nobis quaesituris Epicharmi memoria repetenda est: ἡ δὲ ἱστουργούντων ᾠδὴ αἴλινος. Cuius sententiae auctoritatem Godofr. Welcker sic expedire studuit, ut Epicharmi quibusdam dicteriis a Tryphone (ap. Athen. l. s.) non intellectis verborum λίνος et λίνον ambiguitatem in iocum versam esse censeret.[1] Sed cum alia commentandi ratio relinqui mihi videatur, Tryphonem vel eius auctores tam mali iudicii accusare verear.

Numeros enim simplices vocesque omni sensu carentes in operariorum cantilenis praecipue placuisse supra ostendi-

[1] Kl. Schr. I, p. 48: *Eine witzige Anwendung des Linos finden wir aus der Atalante des Epicharmos oder seines Nacheiferers Phormos von Athenaeus eingeführt, worin nach dem Doppelsinne des Worts Linos und* λίνον *Lein, Leingewebe der Aelinos zu einem Weberlied gemacht wurde. Fast unbegreiflich ist es uns, wie in so vielen anderen Fällen, wie die griechischen Grammatiker offenbaren Scherz für Ernst nehmen konnten. Denn wirklich führt Tryphon unter anderen Liedern den Aelinos der Komödie als Weberlied an, und ebenso nimmt Eustathius diesen Einfall so, als habe Epicharmos im Aelinos überhaupt und ernstlich nur an Faden gedacht,* cf. Eustath. p. 1164.

mus. Atque facile poterat fieri, ut textrices quoque canentes sonantem diphthongum αἰ vel mollem consonantem λ vel utramque coniunctas amarent. His vocibus autem — scilicet intercalaribus — significationis αἴλινος vel talis cuiusdam causa afferri poterat. Iam in rusticorum lino tractando vidimus certi nominis originem ad incertarum vocum clamorem deducendam esse. Qui hoc animo tenent, iis Tryphonis illa: ἡ δὲ ἱστουργούντων ᾠδὴ αἴλινος non nimis obscuri praebent.

Sed nescio, an rationi modo prolatae Aristophanes Ran. v. 1313 sqq. et 1346 sqq. suppeditent. Quibus de locis quamquam rato iudicio non utor, tamen coniecturas dicere audeo. In illis enim versibus Aeschylus Euripidea in medium profert haec cantica, v. 1313 sqq.:[1]

αἵ θ' ὑπορόφιοι κατὰ γωνίας·
 εἱει εἱει
εἱειλίσσετε δακτύλοις φάλαγγες
 ἱστότονα πηνίσματα.
 κερκίδος ἀοιδοῦ μελέτας,

et v. 1346 sqq.:

ἐγὼ δ' ἁ τάλαινα προσέχουσ' ἔτυχον ἐμαυτῆς ἔργοις
λίνου μεστὸν ἄτρακτον
 εἱ ει ει
εἱειειλίσσουσα χεροῖν.

Qui interpretantur Aeschylum illis εἱει — εἱει — εἱειλίσσετε alludere ad syllabas metri sive musicae causa ab Euripide quinquies vel sexies repetitas, illorum versuum singularem speciem non tollunt.[2] Neque enim concesseris Euripidem ad suum arbitrium et libidinem illius generis calamistros hoc

---

[1] In versibus digerendis Fritschium secutus sum.

[2] V. Fritschii comment. ad Ar. Ran. p. 401, et Kockium ad h. l.

loco adhibuisse. Sed qui sibi persuaserint, voces iteratas operariorum cantilenis praecipuas et proprias esse, loco illo Ranarum, quippe quo de textura agatur, textorii cantici quaedam indicia fortasse agnoscent.[1]

Quae sententia scholiis ad Ran. v. 1314 et 1315 adscriptis etiam confirmatur: εἰειειει. Ἡ ἐπέκτασις τοῦ εἰειειλίσσετε κατὰ μίμησιν εἴρηται τῆς μελοποιίας; deinde ἱστότονα: Τοὺς ἱστούς, οὓς ἐν τῷ ἀέρι αἱ ἀράχναι ὑφαίνουσι. λάμβανε δὲ ἀπὸ κοινοῦ εἰς τὰς μελέτας τὸ εἱλίσσετε οὕτως· καὶ εἱλίσσετε μελέτας κερκίδος ἀοιδοῦ· τουτέστιν, ὥσπερ αἱ ὑφάντριαι διὰ τῶν κερκίδων γυναῖκες ἐν τῷ ὑφαίνειν ᾄδουσιν, οὕτω καὶ ὑμεῖς, ὦ ἀράχναι. πηνίσματα δὲ, ὑφάσματα.

Putaverim igitur Euripidem textricum modos novisse et quodam loco sibi assumpsisse; Aristophanem autem illos modos ita imitatum esse, ut textrices faceret verbi εἱλίσσω primam syllabam saepius clamitantes.

Suorum temporum textorias cantilenas Ioannes Chrysostomus commemoravit, cuius testimonio nil dicitur novi.

De iulo cantico, quid antiqui scriptores docuerint, iam consideremus.

Apud Athenaeum XIV p. 618d leguntur haec: Σῆμος δ' ὁ Δήλιος ἐν τῷ περὶ Παιάνων φησί (F. H. G. IV 495)· „τὰ δράγματα τῶν κριθῶν αὐτὰ καθ' αὑτὰ προσηγόρευον ἀμάλας· συναθροισθέντα δὲ καὶ ἐκ πολλῶν μίαν γενόμενα δέσμην οὔλους καὶ ἰούλους· καὶ τὴν Δήμητρα ὁτὲ μὲν Χλόην, ὁτὲ δὲ Ἰουλώ. ἀπὸ τῶν οὖν τῆς Δήμητρος εὑρημάτων τούς τε καρποὺς καὶ τοὺς ὕμνους τοὺς εἰς τὴν θεὸν οὔλους καλοῦσι καὶ ἰούλους· δημήτρουλοι καὶ καλλίουλοι. καὶ

[1] Ad hoc iudicium Fritschii sententia optime quadrat, qui haec animadvertit: diphthongo saepe repetita eum ipsum sonum imitatione exprimi, quem tela inter texendum edere soleat, ex eo apparet, quod et h. l. et infra v. 1348 de sola agitur textura (Comm. ad Arist. Ran. p. 400).

πλεῖστον οὖλον οὖλον ἵει, ἴουλον ἵει (c. p. 1B.).

p. 619b: αἱ δὲ ἴουλοι καλούμεναι ᾠδαὶ Δήμητρι καὶ Περσεφόνῃ πρέπουσι.

Quibus ex verbis haec concludere licet: a Cerere uberem proventum agrorum et multos manipulos Graecos ita precatos esse, ut verba canerent:

Πλεῖστον οὖλον ἵει, ἴουλον ἵει.[1]

Cuius versus — intercalarii ut videtur — voces potissimas οὖλος et ἴουλος ad totam cantilenam significandam esse translatas.

Quod ad metrum illius versus attinet, Frider. Leo l. s. p. 72 verba sic disposuit:

Πλεῖστον οὖλον οὖλον ἵει,
ἴουλον ἵει.

Ac putat quidem hic speciem antiquissimi illius brevis versus apparere, cuius mensura quattuor syllabis longis continebatur. Quod etsi non denego, tamen caveam, ne inde nimis certi quid constituam. Nam veteres grammatici non tam formis primariis et genuinis quam verborum singularibus argumentis animos intendebant.[2]

Quapropter in metro constituendo cautione uti oportet. Sed certos numeros facile cognosces in verbis illis ab Athenaeo traditis. Ac putaveris hic non rhythmicas tantum precationes exstare, sed quasdam operarii cantici reliquias. Quod aliis documentis confirmatur.

---

[1] V. Bergk P. L. Gr. III⁴, p. 654; Eustathius p. 1162 hunc versum referens Athenaeum auctorem secutus est.

[2] Quod et a Frid. Leo l. s. conceditur: *Die griechischen Gelehrten haben Volkslieder nur des Inhalts wegen als Beleg für Gebrauch und Sitte angeführt, nicht weil ihnen die Ursprünglichkeit der Form oder die Naivetät der Empfindung naheging.*

Vox ἴουλος quantae notionum ubertatis sit, ex Hesychio, Photio, Suida, Etym. M. elucet; agricolarum canticum ea dici imprimis scholiasta ad Apollon. Argon. A 972 tradidit (ed. Keil.): ὁ μέντοι Ἐρατοσθένης ὄνομα ᾠδῆς ἐρίθων ἀπέδωκεν ἐν τῷ Ἑρμῇ, λέγων οὕτω·

> ἡ χερνῆτις ἔριθος ἐφ' ὑψηλοῦ πυλεῶνος[1]
> δενδαλίδας[2] τεύχουσα, καλοὺς ᾔειδεν ἰούλους.[3]

οὐκ ἔστι δέ φησι Δίδυμος ἀλλ' ὕμνος εἰς Δήμητρα, ὡς ὁ οὔπιγγος παρὰ Τροιζηνίοις εἰς Ἄρτεμιν. ἔστι γὰρ οὖλος καὶ ἴουλος ἡ ἐκ τῶν δραγμάτων συναγομένη δέσμη, καὶ Οὐλὼ ἡ Δημήτηρ. Pollux I 38 hymnum ἴουλον testatur; Photius, Suidas s. v. ἰοῦλος: καὶ ᾠδῆς τι γένος. Et. M.: ἔστι δὲ καὶ ᾠδῆς ὄνομα.

Constat igitur a rusticis operariis illud canticum acceptum esse. Vocis origo Athenaei testimonio satis explanatur. Sed aeque ac lino et himaeo etiam iulo diversae notiones ab Athenaeo vindicantur. Sententiis enim supra citatis haec addit: ἄλλοι δέ φασιν ἐριουργῶν εἶναι τὴν ᾠδήν, et paulo supra Tryphonis haec verba allata sunt: ἡ δὲ τῶν ταλασιουργῶν ἴουλος. Iuli quae hic apparet significatio neque ab ipsius verbi historia repeti neque scriptorum argumentis enodari potest.

---

[1] πετεῶνος cod. Laurent. πυλεῶνος schol. Florent.

[2] Hesych. s. v. δενδαλίδας: οἱ μὲν ἄνθος τι, ἄλλοι τὰς λευκὰς κάχρυς, οἱ δὲ τὰς ἐπτισμένας κριθὰς πρὸ τοῦ φρυγῆναι, οἱ δὲ τὰς ἐκ κριθῶν μάζας γενομένας.

[3] Hos versus Tzetzes in schol. ad Lycophr. 23 sic tradidit:

> Ἡ χερνῆτις ἔριδος ἐφ' ὑψηλοῦ πυλεῶνος
> Δανδαῖτις στείχουσα καλὰς ᾔειδεν ἰούλους,

et Etym. Magn. s. v. ἴουλος:

> Ἡ χερνῆτις θεός ἐφ' ὑψηλοῦ ἐλεῶνος
> Δανδαῖτις στείχουσα, καλὰς δ' ᾔειδεν ἰούλους.

Neque vero ita ineptum est cogitare clamosas illas voces ἰοῦ, ἰοῦ, quae apud tragicos, comicos, alios scriptores frequenti in usu erant quaeque ipsae in Oschophoriorum agmine iterum atque iterum clamitabantur[1], etiam a lanas trahentibus intercalarie usurpatas et inde illius cantilenae nomen ducendum esse.

Quamquam assentiri maluerim alteri cuidam explanandi rationi. Verbo ἴουλος enim materia quaedam acervatis stipulis composita signabatur. Velut crinis et barbae notioni inservire poterat.[2] Ac facile conieceris in canticis eorum, qui torta stamina ducebant, lanae quoque illud verbum assignatum esse. Quod musice fortasse iterabatur ita, ut ἴουλος imprimis audiretur et totius cantilenae fieret notioni.

In numero carminum cum rusticis operibus coniunctorum ab Athenaeo XIV p. 619a Lityerses ponitur: ἡ δὲ τῶν θεριστῶν ᾠδὴ Λιτυέρσης καλεῖται. Pollux I 38 Lityersam dicit σκαπανέων ᾠδήν; idem IV 53 hoc canticum cum aliarum gentium carminibus sic comparat: βώριμος δὲ Μαριανδύνων γεωργῶν ᾆσμα, ὡς Αἰγυπτίων μανέρως καὶ λιτυέρσας Φρυγῶν; et IV 54: ᾔδετο δὲ ὁ θρῆνος περὶ τὰς ἅλως καὶ τὸ θέρος ἐπὶ Μίδου παραμυθίᾳ. Schol. in Theocriti X 41 postquam rettulit Lityersam socios suos occidisse, deinde ab Hercule necatum et in Maeandrum fluvium deiectum esse, sic pergit: Ὅθεν καὶ νῦν οἱ θερισταὶ κατὰ Φρυγίαν ᾄδουσιν αὐτὸν ἐγκωμιά-

---

[1] De hac re v. Mannhardt l. s., p. 217.

[2] Athen. XV, p. 668a: Χλανίδες δ' οὖλαι καταβέβληνται; Pollux II 23: Ἀττικοὶ δὲ οὔλας λέγουσι τὰς τριχάς; Hes. s. v. ἴουλος: αἱ πρῶται τῶν τριχῶν ἐκφύσεις; Phot. s. v. ἴουλος: καὶ τὸ ἐξάνθημα τὸ ἐπὶ τῶν γενείων . . . τὸ δασὺ ἐπισεῖον τῶν γενείων . . . χνοῦς τριχῶν. ἤτοι ἡ πρώτη τῶν γενείων βλάστη. Idem fere Suid.; Etym. Magn. s. v.: ἴουλος λέγεται καὶ ἡ πρώτη ἐξάνθησις τῶν τριχῶν κατὰ τὰς παρειάς, αἱ κατὰ παρειῶν ἐπ' εὐθείαις ἐν πυκνότητι πρῶτον ἀναβλαστάνουσαι τρίχες. Quibuscum nostra significatio *Wolle* bene comparatur.

ζοντες ὡς ἄριστον θεριστήν. Similiter Eustathius p. 1164,10; 1236,60. Photius Λιτυέρσαν memorat: ᾠδήν τινα, ἣν ᾄδουσιν οἱ θερίζοντες; idem s. v. Λιτυέρσης: εἶδος ᾠδῆς Μένανδρος Χαλκηδονίῳ (Καρχηδονίῳ Kock.) „ᾄδοντα λιτυέρσην ἀπ' ἀρίστου τέως" . . . Μίδου δὲ ἦν ὁ Λιτυέρσης νόθος υἱός, κατοικῶν δὲ ἐν Κελαιναῖς τοὺς παριόντας ὑποδεχόμενος ἠνάγκαζε μετ' αὐτοῦ θερίζειν. εἰς τιμὴν δὲ τοῦ Μίδου θεριστικὸς ὕμνος ἐπ' αὐτῷ συνετέθη.

Verbum igitur λιτυέρσης indebatur messorum iis modis, quorum origines a Lityersa tamquam messorum principe repetebantur. Neque vero dubium est, quin fabulae de Lityersa persona diverse agentes ex posterioris aetatis studiis emanaverint.[1] Tales enim historias posteriores invenire solebant, ut rararum vocum usum explicarent.

Qui autem etymologiam quaerebant, aliquid certi statuere non poterant. Sed cum verisimile sit, Latinorum „lituus" cum radice vocis λιτυέρσης conferendum esse[2], ea mihi placuerint, quae iam Bergkius in litterarum historia his verbis expressit: *Dieser Gesang wird auf Lityerses, den Sohn des phrygischen Königs Midas, zurückgeführt. Der Name bezeichnet wohl eigentlich den Aufseher bei ländlichen Geschäften, den Stabträger und mag wie die Melodie des Liedes von den Phrygiern entlehnt sein.* Cogitanti autem, quomodo haec notio ad messorum cantilenas transferri potuerit, quidam usus religiosi respiciendi sunt, quos rustici exercere solebant, ut bona frugum incrementa sibi pararent. Huius modi enim in caerimoniis ex messorum numero uni cuidam — et Lityersae quidem — primae partes attribuebantur. Qui ceterorum canticis et variis actionibus tamquam exemplar et

---

[1] V. Crusium in *Roscheri Lex. Mythol.* II, p. 2066 sqq.

[2] Otto Müller, Etrusker II[1], p. 211 sq.

vicarius crescentis frumenti celebrabatur.[1] Cantilenae igitur, cum Lityersae dedicarentur, ab illo nomen sumpserunt. Quae cum ita sint, credideris in lityersa carmine eos fuisse numeros, qui messorum ipsi labori primum adaptati et paulatim etiam in caerimoniis eorum usurpati essent.

Theocritus in X. Id. inde a v. 42. lityersae argumenta imitari videtur. Cuius versus, quamquam simplices et sinceros modos non praebent, tamen hic asserantur:

> Δάματερ πολύκαρπε, πολύσταχυ τοῦτο τὸ λᾷον
> εὔεργόν τ' εἴη καὶ κάρπιμον ὅττι μάλιστα.
> σφίγγετ' ἀμαλλοδέται τὰ δράγματα, μὴ παριών τις
> εἴπῃ · σύκινοι ἄνδρες, ἀπώλετο χοὖτος ὁ μισθός.

Ac lino et lityersa tractatis iam imago quaedam respicienda est, quae picta in antiquissimo vase Cretico invenitur (Museum tom. IX. [1905] tab. 39): Ubi vides pompam agricolarum funis in umeros elatis vel messum exeuntium vel facta messe domum revertentium. Qui oribus cantu hiantibus rhythmice gradi videntur. Unde intellegis eos iam novisse cantilenas, quarum opera molestiae itineris levari poterant. Qua re Athenaei verba bene illustrantur (l. s. p. 619a): καὶ τῶν μισθωτῶν δέ τις ἦν ᾠδὴ τῶν ἐς ἀγροὺς φοιτώντων, ὡς Τηλεκλείδης φησὶν ἐν Ἀμφικτύοσιν (I 212, fr. 7 K.). Is autem qui in tabula illa ornata praestans veste ceteros antecedit nescio an iis fungatur officiis, quae Lityersae personae attributa esse cognovimus.

Rusticorum canticis ἐπιλήνιον annectendum est, quod vindemiatores inter uvas premendas canere solebant, si quidem Pollucis huic testimonio fides habetur (IV, 55): καί τι καὶ

---

[1] V. Crusium l. s. Similes caerimoniae etiam nunc in Germaniae et Austriae quibusdam regionibus observantur. Ubi Lityersae locum *der Kornalte* obtinet; cf. Mannhardt, *Mythol. Forschungen*, p. 18 sqq., 50 sqq.

ἐπιλήνιον αὔλημα ἐπὶ βοτρύων θλιβομένων. Athenaeus quoque (V, p. 199a) illud canticum commemoravit et Ioannes Chrysostomus huc spectasse videtur, cum dixit: Καὶ γηπόνοι ληνοβατοῦντες καὶ τρυγῶντες καὶ ἀμπέλους θεραπεύοντες καὶ ἄλλο ὁτιοῦν ἐργαζόμενοι πολλάκις ᾄδουσιν. In Anacreontio porro carmine, quo vindemiatorum negotia describuntur, ὕμνοι ἐπιλήνιοι commemorantur (Bergk P. L. Gr. III[4], p. 334):

Τὸν κελαινόχρωτα[1] βότρυν
ταλάροις φέρουσιν[2] ἄνδρες
μετὰ παρθένων ἐπ' ὤμων·
κατὰ ληνὸν δὲ βαλόντες
μόνον ἄρσενες πατοῦσιν
σταφυλήν, λύοντες οἶνον,
μέγα τὸν θεὸν κροτοῦντες
ἐπιληνίοισιν ὕμνοις,
ἐρατὸν πίθοις ὁρῶντες
νέον ἐκζέοντα[3] Βάκχον.

Ἐπιλήνιον igitur canticum hymnus habendum est in Bacchi honorem cantatus. Cuius numeri nescio an primum ex motibus corporum fluxerint. Nam in operibus vindemiatorum uvas pedibus conterentium non frustra certum investigaveris ῥυθμόν.

Pastorum et armentariorum cantilenas Athenaeus l. c. p. 619a his verbis definivit: ἦν δὲ καὶ τοῖς ἡγουμένοις τῶν βοσκημάτων ὁ βουκολιασμὸς καλούμενος. Quae supplentur Chrysostomi testimonio l. s.: Διὰ τοῦτο καὶ ὁδοιπόροι πολλάκις μετὰ μεσημβρίαν ἐλαύνοντες ὑποζύγια ᾄδοντες τοῦτο ποιοῦσι τὴν ἐκ τῆς ὁδοιπορίας ταλαιπωρίαν ταῖς ᾠδαῖς ἐκείναις

---

[1] κελαινόχρωτα B. μελανόχρωτα cod.
[2] φέρουσιν Stephanus φέροντες cod.
[3] ἐκζέοντα Faber ἐσζέοντα cod.

παραμυθούμενοι. Unde et Philostorgii vox illa ὁδοιπορικά intellegitur. Elucet autem pastores, cum pecus pascerent vel armenta propellerent, canendo nihil egisse nisi ut itineris horas fallerent. Modos eorum, si observare liceret, non alienos cognosceremus ab iis, qui ἐμβατήρια a Graecis nominabantur.[1]

Quin ἐμβατήρια quoque carmina ab aequis progrediendi motionibus repetenda sint, nemo dubitaverit. Sed cum de illis canticis inter omnes notis nihil possit proferri, quod novitatis gratiam praebeat, liceat ea praetervolare.

Athenaeus (l. s. p. 618e) nos edocet: αἱ δὲ τῶν τιτθευουσῶν ᾠδαὶ καταβαυκαλήσεις ὀνομάζονται. Ut nutriculae suas colant cantilenas compluribus efficitur causis. Nam primum ipsae nutriculae cunas moventes vel pueros in bracchiis gestantes diutinum laborem exonerare possunt, deinde vagientes pueri mulierum vocibus et simplicibus earum modis bene consopiuntur. Cuius generis in cantica Ioannes Chrysostomus praecipuam diligentiam invertit his verbis: ὡς καὶ τὰ ὑπομάζια παιδία κλαυθμυριζόμενα καὶ δυσχεραίνοντα οὕτω κατακοιμίζεσθαι. Αἱ γοῦν τίτθαι ἐν ταῖς ἀγκάλαις αὐτὰ βαστάζουσαι, πολλάκις ἀπιοῦσαί τε καὶ ἐπανιοῦσαι καί τινα αὐτοῖς κατεπᾴδουσαι ᾄσματα παιδικά, οὕτως αὐτῶν τὰ βλέφαρα κατακοιμίζουσιν. In hoc loco interpretando Ant. Naegele (l. s. p. 107 sq.) Philodemi (4,497 Sudh.), Sexti Empirici (πρὸς μουσικούς 7,32 ed. Bekker p. 754,31) Galeni (ὑγιεινῶν λόγοι I ed. Kühn VI p. 36 c. 7—8) testimonia contulit, qui de nutricularum canticis similiter iudicaverunt.

Quod autem Graeci scriptores ex illis cantilenis ne unam quidem memoriae propagarunt[2], non miramur. Grammatici

---

[1] Ceterum conferas ea, quae Ant. Naegele l. s. p. 109 non male disputavit.

[2] Ne omittamus testimonium unius ex poetis Romanorum. Persius enim dicit sat. II inde a v. 15:

enim ut alios modos populares ita illos non dignos habebant, quos litteris servarent. Quod autem Antonius Naegele l. c. p. 106 sq. nos revocat ad Theocr. Id. XXIV v. 7 sqq. et Sophocl. Philoct. v. 827 sqq. et Eurip. Orest. v. 174 sqq., in his carminibus non facile inveneris modestos quosdam nutricularum numeros.

Sed huius generis cantica Athenis solemni quadam auctoritate florebant. In memoriam enim Erigonae (Ἀλῆτις), quae vitam suspendio amiserat, Athenienses quotannis festos dies agebant, quibus pupae laqueis suspensae oscillari solebant.[1] Quam caerimoniam cantilena quadam, quae ἀλῆτις vocaretur, esse ornatam, hi viri testantur: Athenaeus l. s. p. 618e ἦν δὲ καὶ ἐπὶ ταῖς αἰώραις τις ἐπ' Ἠριγόνῃ, ἣν καὶ ἀλῆτιν λέγουσιν, ᾠδή; Pollux IV 55: ἦν δέ τι καὶ ἀλῆτις ᾆσμα ταῖς αἰώραις προσᾳδόμενον; simil. Hes., Phot., Suid., Et. M.

De balneatorum cantilenis Athenaeus l. c. p. 619 a: καὶ βαλανέων ἄλλαι, ὡς Κράτης ἐν Τόλμαις (I 141, fr. 38 K.).

O miser inque dies ultra miser, hucine rerum
venimus? a, cur non potius teneroque columbo
et similis regum pueris pappare minutum
poscis et iratus mammae lallare recusas?

Ad v. 16. schol. ant.: columbos melius pueros intellegere est, quos quae nutriunt blandientes columbos et pullos et passeres vocant. aut cur non commanducatos cibos possis aut cur non nutricis iussu dormire ploranda recusas? quae infantibus, ut dormiant, saepe dicere solent „lalla, lalla" id est aut dormi aut lacta. quod quasi irati infantes nolunt. — Cf. W. Corssen, Origines poes. Rom. (Berol. 1846), p. 160, qui scripsit: lallá lallá lallá aut dórmi aut lactá; ac bene quidem, nam sic leguntur numeri:

X X́ X X́ X X́
X X́ X X́ X X́

Qui motorum bracchiorum vel cunabulorum aequabiles numeros sane imitantur.

[1] Cf. Wentzel in *Pauly-Wissowa Realencyclopaedie* I, p. 1043 Aiora.

Haec autem cantica minus balneatorum solatio inservisse videntur quam oblectamento eorum, qui in balneis versabantur.[1]

Pinsentium mulierum modos Athenaeus l. s. p. 619a his verbis in medium protulit: καὶ τῶν πτισσουσῶν ἄλλη τις (scil. ᾠδή) ὡς Ἀριστοφάνης ἐν Θεσμοφοριαζούσαις (I 481, fr. 339 K.). Καὶ Νικοχάρης ἐν Ἡρακλεῖ χορηγῷ (I 771, fr. 6 K.). Quae a Polluce confirmantur, quippe qui vocis πτιστικόν Phrynichum (I 374, fr. 14 K.) et vocis πτισμόν Nicophontem (I 779, fr. 17 K.) attulit auctores. Verbo πτίσσειν quid diceretur, scholiasta ad Arist. Acharn. v. 507 adscripsit: κυρίως πτίσσειν ἐστι τὸ κριθὰς ἢ ἄλλο τι λεπίζειν καὶ καθαροποιεῖν, ἔνθεν καὶ πτισάνη. De eadem re copiosius egit Eustathius p. 801, 56 ad Il. K v. 249. Cantilenae autem, quae ad pinsendi opera cantabantur, e litterarum memoria ut multa alia plane extincta sunt.

Athenaei igitur sententiis exhibitis et cum aliorum collatis de operariorum cantilenis larga iudicia adipisci licuit. Neque tamen Athenaeus, quamvis diligenter doctrinam suam construxerit, omnem illam materiam exhausit. Restat, ut aliorum testimonia scrutemur.

Ioannes Chrysostomus l. s. s. huius indicii auctor est: Καὶ γηπόνοι . . . ἐργαζόμενοι ᾄδουσιν. καὶ ναῦται κωπηλατοῦντες τοῦτο ποιοῦσιν. Quibus in verbis versatus antiquis temporibus a nautis Graecis suos cultos esse modos Ant. Naegele l. c. p. 113 in dubium non recte vocavit. Nam fuisse nautarum quasdam cantilenas iam ex diversis, quae traduntur, nominibus intellegitur. Velut a Polluce (IV 56) τὰ ἐρετικὰ αὐλήματα et a Plutarcho (Alc. c. 32) ἡ εἰρεσία commemorantur. In scholiis porro ad Arist. Acharn. v. 554

[1] Conferri possunt illa cantica, quibus tonsores eorum, quos tondebant, animos oblectare solebant (Petron. 46, 7; 64, 4).

haec invenimus: κελευστῶν: κελευστής, τριήραρχος, πρωρεύς. — νιγλάρων: ὁ νίγλαρος κροῦμά ἐστιν καὶ μέλος μουσικὸν παρακελευστικόν. Suidas s. v. νίγλαροι: τὰ τερετίσματα καὶ περίεργα κρούματα. κροῦμα δέ ἐστι καὶ μέλος μουσικὸν παρακελευστικὸν ὁ νίγλαρος. Praeterea de νιγλάρου indole v. Plutarchum de mus. c. 30; Hes. Phot. s. v.[1]

Pausarios pulsum remorum ita moderari solitos esse, ut vocibus quibusdam remigum alacritatem accenderent, iam ex Aeschyli Persarum elucet v. 396 sq.:

εὐθὺς δὲ κώπης ῥοθιάδος ξυνεμβολῇ
ἔπαισαν ἅλμην βρύχιον ἐκ κελεύσματος.

Licet illud κέλευσμα primum nil fuerit nisi incertus quidam sonus vocalis, ad quem remorum ictus accommodaretur, tamen inde nautarum cantilenae gradatim ortae esse videntur.[2] Quod iam Guil. Ad. Becker animadvertit[3], qui Lucianum protulit testem. In Cataplo enim par. 19 Lucianus Cyniscum induxit operam Charoni offerentem. Pactione confecta hi sermones commutantur: Κυν· ἦ καὶ ὑποκελεῦσαι δεήσει; Χαρ· νὴ Δί', ἤνπερ εἰδῇς κέλευσμά τι τῶν ναυτικῶν. Κυν· οἶδα καὶ πολλά, ὦ Χάρων, τῶν ναυτικῶν. ἀλλ' ὁρᾷς; ἀντεπηχοῦσιν οὗτοι δακρύοντες, ὥστε ἡμῖν τὸ ᾆσμα ἐπιταραχθήσεται. Quae ad verba explicanda haec addidit scholiasta: ὡς ἐν τοῖς πλοίοις λέγειν εἰώθασι κελεῦσαι, ᾠδὴν δὲ λέγει ναυτικήν, ἣν ὑποκέλευσμα καλεῖ, διότι ἑνὸς καταρχομένου οἱ ἄλλοι ὑπήκουον τὸ ᾀδόμενον, ὥσπερ καὶ ὅτε τὴν ὀθόνην τῶν πλοίων μετὰ τῆς κεραίας ἐπὶ τὸν ἱστὸν ἀναφέρουσιν.

Remigum non tam cantilenae quam modi quidam intercalares indagantur apud Aristophanem. Nam ad voces Ran. v. 208:

ὠὸπ ὄπ, ὠὸπ ὄπ

[1] Cf. Philostorgium l. s. supra p. 18. — [2] Cf. Car. Buecher l. s., p. 203.
[3] Charikles, p. 212.

a Charone navem propellente expressas haec adscripsit scholiasta: ὠόπ· ἐλατικὸν ἐπίφθεγμα. ναυτικῶς οὖν κελεύων ταῦτά φησι. Atque concesseris illarum exclamationum numeros:

— ◡̈ ◡ — ◡̈ ◡

apte convenire ad remigum actiones, si, ut Xenophon dicit (Oec. VIII 8) ἐν τάξει προνεύουσιν, ἐν τάξει δ' ἀναπίπτουσιν.

In explicando porro Equitum v. 602:

ἱππαπαὶ τίς ἐμβαλεῖ;

a scholiasta remigum verba ῥυππαπαί in memoriam sic vocantur: τὸ δὲ ἱππαπαὶ ἔπαιζε παρὰ τὸ ῥυππαπαὶ εἰρηκὼς ὡς ἐπὶ ἵππων. ἔστι δὲ τὸ ῥυππαπαὶ ἐπιφώνημα ναυτικόν. ἢ ψόφου ἐστὶ μίμημα ἀπὸ τῶν κωπῶν ἀποτελουμένου. Scholiasta potuit scribere: καὶ ψόφου ἐστὶ μίμημα. Nam ipsa illa crepituum imitatione operariorum cantilenae insigniuntur et conspiciuntur.

Atque ab ipso Aristophane illa remigum exclamatio ῥυππαπαῖ in Ran. v. 1073 commemoratur, ubi Aeschylus de simplicibus et demissis priorum temporum nautis haec facit verba:

οὐκ ἠπίσταντ' ἀλλ' ἢ μᾶζαν καλέσαι καὶ ῥυππαπαῖ εἰπεῖν.

Quem ad versum scholiasta adnotavit: Ἐπίφθεγμα ναυτικὸν, παρασκευαστικὸν κωπηλασίας τὸ ῥυππαπαῖ. — ἐπιφώνημα ναυτικόν Br.

Testimonia Latina adhuc viliora habui, quam ut iis in his paginis insignem dediderim locum. Ea autem, quae a Romanorum scriptoribus de nauticis cantilenis servata sunt, minus exigua videntur, cum comparandi optimam praebeant occasionem. Itaque si in excursione ea tractare audeo, ne ab huius dissertationis consilio et ratione abeam, vix est timendum.

Apud Romanos pausarii remigandi opera sic dirigebant, ut scipione pulsando modos indicarent. Nonius Marcellus

I, p. 122 L: Portisculus proprie est hortator remigum idem qui eandem perticam tenet, quae portisculus dicitur, qua excursum et exhortamenta moderatur. In pavimento tessellato Althiburi invento vides pausarium in actuaria sedentem adscriptione „portisculus" signatum (v. Buechelerum, Mus. Rhen. LIX [1904] p. 322). Conferas Ennii Ann. v. 233; Plauti Asinariam v. 517; Decimi Laberii Hetaerae fr. 2 (Scaen. Rom. poes. fr. ed. Ribbeck II[3], p. 348).

Aeque ac pulsu portisculi hortator ille numerosis vocibus et clamoribus remigandi ordinem sustinere solebat. Quo factum est, ut apud Romanos quoque scriptores clamatarum quarundum vocum mentio occurrat, quae celeuma appellabantur.

Velut ad Vergil. Aen. III, v. 128 sq.:

nauticus exoritur vario certamine clamor;
hortantur socii Cretam proavosque petamus.

Servius adnotavit in commentariis: Celeuma autem quasi praeceptum: unde Sallustius ait impediebant iussa nautarum.

Quocum congruit Martialis III 67:

Cessatis, pueri, nihilque nostis,
Vaterno Rasinaque pigriores,
Quorum per vada tarda navigantes
Lentos tinguitis ad celeuma remis.

Idem IV 64:

. . . Ne blando rota sit molesta somno,
Quem nec rumpere nauticum celeuma
Nec clamor valet helciariorum.[1]

[1] Cf. praeterea Seneca, Epist. 56, 5, Rutilius I 370, Vergilius Aen. V 177, VIII 108, cum Servii commentariis. Celeumate nihil significatum esse nisi exclamationum certum genus iam inde apparet, quod fieri poterat, ut eadem vox celeuma ad vindemiatorum cantum (sc. intercalarem) transferretur (Hieronymus in Isaiam V 10).

Neque vero hoc tantum modo nautae laborem moderari et consolari solebant. Noverunt enim, quae levandi vis ipsorum inesset communibus cantilenis. Quod Claudii Mamertini confirmatur panegyr. XII (Pan. Lat. p. 99 Baehr.): „ita in aquas sponte subeuntes impetum navigia fecerunt levi modo commota nisu ducentium, quorum ad felicissimum illud exordium magis opus erat nautico carmine quam labore".

Nautica autem carmina Romanorum ita composita esse videntur, ut pausariorum quod dicebatur celeuma intercalarie iis inseretur; unde totum illud carmen paulatim nomen petebat celeuma. Quod imprimis ex Sidonii Apollin. epist. II 10, v. 25 sqq. verbis concludere licet:

curvorum hinc chorus helciariorum
responsantibus alleluia ripis
ad Christum levat amnicum celeuma.

Atque intercalarii modi, quantopere ut ab aliis operariis ita a remigibus dilecti fuerint, ex unico illo celeumate elucet, quod in cod. Berol. s. VIII. vel IX. nobis servatum est (P. L. M. III ed. Baehr. p. 167):

Heia, viri, nostrum reboans echo sonet heia!
Arbiter effusi late maris ore sereno
Placatum stravit pelagus posuitque procellam,
Edomitique vago sederunt pondere fluctus.

Heia, viri, nostrum reboans echo sonet heia!
Annisu parili tremat ictibus acta carina
Nunc dabit arridens pelago concordia caeli
Ventorum motu praegnanti currere velo.

Heia, viri, nostrum reboans echo sonet heia!
Aequora prora secet delphinis aemula saltu
Atque gemat largum, promat seseque lacertis
Pone trahens canum deducat et orbita sulcum.

Heia, viri, nostrum reboans echo sonet heia!
Aequore flet Corus: vocitemus nos tamen heia.
Convulsum remis spumet mare: nos tamen heia.
Vocibus adsiduis litus resonet: tamen heia.

Hoc carmen, ut sit artificiosum et posteriori attribuendum aetati, tamen intercalarios eius modos genuinos et nautarum operibus aptissimos habuerim. Eadem igitur apud Romanos atque apud Graecos videmus incrementa, rudes dico simplicesque voces, quae paulatim demum perfectioris artis vinculis coniunguntur.

Idem Aristophanes, quem ut alios comicos in popularibus rebus cognoscendis summa auctoritate esse iam procedente hac disputatione intelleximus, lepidam quandam cantilenam Pacis versibus inseruit, qua operarios saxa sublaturos et deam molituros laboris molestiam fecit levantes. In versibus enim inde a 459 primum Trygaeus et Mercurius et chorus, cum in dea extollenda desudent, iteratas voces ὢ εἶα, ὢ εἶα, εἶα μάλα, εἶα νῦν, εἶα ὤ cum labore in vicem coniungunt; deinde confecto fere opere chorus cantat versus:

512 ἄγε νυν, ἄγε πᾶς·
καὶ μὴν ὁμοῦ 'στιν ἤδη.
μή νυν ἀνῶμεν, ἀλλ' ἐπεν-
τείνωμεν ἀνδρικώτερον.
ἤδη 'στὶ τοῦτ' ἐκεῖνο.
ὢ εἶα νῦν, ὢ εἶα πᾶς.
ὢ εἶα, εἶα, εἶα, εἶα, εἶα, εἶα.
ὢ εἶα, εἶα, εἶα, εἶα, εἶα πᾶς.

Numeri autem, quibus chorus in labore versans utitur, initio et fine huius cantici praecipue signantur. Quae media sunt verba interspirationis causa canebantur. Habemus igitur

hoc loco quod Otto Boeckel[1] et operariorum cantilenis et toti poesi populari proprium et insigne esse ostendit, breves videlicet exclamationes, quibus paulatim alii versus immiscentur, ita quidem, ut illae exclamationes intercalarie remaneant.

Similes fere modos in Euripidis Cycl. v. 656 sqq. indagaveris. Quo loco Ulixis socios, qui ut Polyphemi oculum terebrent praeacutum tollunt tignum, sic auscultas clamantes:

ἰὼ ἰώ, γενναιότατα
ὠθεῖτε, σπεύδετε.
ἐκκαίετε τὴν ὀφρὺν
θηρὸς τοῦ ξενοδαίτα.
τύφετ' ὦ, καίετ' ὦ
τὸν Αἴτνας μηλονόμον.
τόρνευ', ἕλκε, [ὅρα] μή σ' ἐξοδυνηθεὶς
δράσῃ τι μάταιον.

Quibus in versibus operariorum modos latere iam Wilamowitzius iudicavit (*Trag. Übersetzungen*, vol. III, p. 62). Qui etsi concedit metrum non plane explicari, tamen hanc mensuram constituit addita in v. 662 voce ὅρα:

⏑ ⏑ ⏑ — — — ⏑ ⏑ — | — — — ⏑ — | — ⏑ ⏑ — ⏑ —
— — — ⏑ ⏑ — —
— ⏑ —
— ⏑ —
⏑ — — — ⏑ ⏑ — | — — — ⏑ — | — — ⏑ ⏑ — —
— — ⏑ ⏑ — —

id est primum chor. dim. + 2 dochm. + Pherecrat., et in fine chor. dim. + dochm. + 2 Reiziana. De mediis autem numeris, quibus ipsae laborantium exclamationes continentur, Wilamowitzius arbitrio temperat. Et iure quidem. Neque enim licet metri formas translaticias iis numeris ingerere, qui

[1] *Psychologie der Volksdichtung.* Cf. quod supra p. 7 adnotatum est.

ex laborum condicionibus suam hauriebant vim. Hoc tamen potest intellegi: laborem, qui illis Eur. versibus describitur, talibus fere x́ x x̀ x́ x x̀ numeris contineri.

A tractandis his rebus etymologica parva disputatio non potest seiungi. Quantopere pulsandi et feriendi motiones in arte musica Graecorum usurpatae essent, iam Buecher l. s., p. 367, adn. 2 animadvertit, qui ad frequentem usum verborum κρούειν et κόπτειν provocavit. Velut Pollux hos dicendi modos testatur: κρούειν αὐλόν, κρέμβαλον, φόρμιγγα, κιθάραν, λύραν; idem varios concentus musicos nomine κροῦμα appellat (cf. IV 57, 62, 67, 83, 84, VII 88 al.).

A verbo κόπτειν derivanda est musicorum scriptorum significatio κομμός. Quo verbo in tragoedia eiulatus, gemitus, lamentationes vocabantur, eam videlicet ob causam, quod qui atrocibus doloribus afficiebantur frontem et pectus ferire solebant. Cuius rei indicium, si alia testimonia desiderarentur, iam ex numeris τῶν κομμῶν intellegi posset. Nam dochmii, quippe qui in illis tragoediae partibus ante alios sint usurpati [1], maxime idonei sunt, qui cum maestis illis feriendi motionibus coniungantur.

Non forte porro accidisse videtur, quod significatio „dactylus“ non numquam ab Idaeis dactylis repetebatur.[2] Hi enim

---

[1] V. Schol. ad Aesch. Sept. v. 103: ὁ ῥυθμὸς οὗτος πολύς ἐστιν, ἐν θρηνῳδίᾳ καὶ ἐπιτήδειος πρὸς θρήνους καὶ στεναγμούς.

[2] Clem. Alex. Strom. I 15, 73: Τινὲς δὲ μυθικώτερον τῶν Ἰδαίων καλουμένων δακτύλων σοφούς τινας πρώτους γενέσθαι λέγουσιν, εἰς οὓς ἥ τε τῶν Ἐφεσίων λεγομένων γραμμάτων καὶ ἡ τῶν κατὰ μουσικὴν εὕρεσις ῥυθμῶν ἀναφέρεται· δι᾽ ἣν αἰτίαν οἱ παρὰ τοῖς μουσικοῖς δάκτυλοι τὴν προσηγορίαν εἰλήφασιν. — Scholia B in Hephaestionis Enchiridion, p. 133 (Consbruch, p. 301 1): ὁ δάκτυλος . . . οὕτω κεκλημένος ἀπὸ μεταφορᾶς τῶν ἁρμογῶν τῶν τῆς χειρὸς δακτύλων (ἀπὸ γὰρ μείζονος ἁρμογῆς ἐπὶ τὰς δύο ἐλάττους

fabri aerarii et metallici artificii inventores[1] antiquitus putabantur (quod iam elucet e nominibus: Celmis, Damnameneus, Acmon).

Atqui dactyli forma — ⏑ ⏑ facile efficitur, si ferrum malleo contunditur. Ita, si fabri illi canendo solatium laboris petebant, cantica eorum ut apta labori dactylum numerum sequebantur. Qui modi ut alia operariorum cantica tam rudi et simplici erant specie, ut ipsius musicae artis prima incrementa haberi possent. Unde Solini verba (c. 11, 6 M.): „studium musicum inde coeptum, cum Idaei dactyli modulos crepitu ac tinnitu aeris deprehensos in versificum ordinem transtulerunt“.

Cum eodem genere laboris is numerus cohaerere videtur, quem „anapaestum“ dicere solemus.

Nimis subtiliter grammatici huius vocis originem inde petebant, quod anapaesto quasi „antidactylo“ ipse dactylus ἀναπαίεται.[2] Equidem censuerim anapaestum aeque ac dactylum ad fabrorum opera referendum esse. Nam facile concesseris in ferro contundendo, cum malleus ad incudem ἀναπαίεται, tales (— ⏑ ⏑ vel ⏑ ⏑ —) imprimis numeros audiri. Atque confirmatur haec sententia Hesychii verbis s. v. ἀναπαιστρίδες· σφῦραι παρὰ τοῖς χαλκεῦσιν.

προίασιν) ἢ ἀπὸ τῶν Δακτύλων, οὓς ἐπιλαβομένη τῆς γῆς ἀνῆκεν ἡ ῾Ρέα. Idem Gramm. Ambros. περὶ τῆς τῶν ποδῶν ὀνομασίας (Lex. Vind. ed. Nauck, p. 256).

[1] Schol. Ap. Rhod. I 1126 sqq. Cf. Gruppe *Griechische Mythologie*, p. 1308, 1522.

[2] V. Georg. Choerobosci comm. in Hephaest. III, ed. Consbruch, p. 215, 15: Ἀνάπαιστος δέ, ὃν καὶ καλοῦσι τινὲς ἀντιδάκτυλον. ἐκλήθη δὲ οὕτως διὰ τὸ ἀντικειμένως ἔχειν τῷ ἡρῴῳ (δύο γὰρ ἔχει βραχείας κατὰ τὴν ἀρχὴν τῆς πλήξεως τοῦ ῥυθμοῦ, τὴν δὲ τρίτην μακρὰν ἐν τῇ θέσει) καὶ ἄνω παίειν ἀεί. Cf. Consbruchii edit. Hephaest. p. 301, 10; 333, 12; 367, 6.

Ad finem nobis properaturis docti cuiusdam hominis sententia commemoranda est, qui magicorum quoque cantuum numeros ex certarum motionum quasi fonte derivandos esse recte censuit (*Liter. Zentralbl.* 1897, p. 595).[1] Iam Bergkius in litterarum historiae vol. I, p. 357 docuit, quanti in magicis illis canticis simplicium vocum iteratio numerosa aestimata esset.[2] Ac si incantamentorum exempla contuleris a Ric. Heim collecta (Incantamenta magica Graeca Latina, *Fleckeisens Jahrbücher, Supplem.* XIX [1893]), in compluribus eorum magnam melodiae simplicitatem cognosces, quae vel verborum iteratione vel incertarum vocum agglomeratione efficitur (v. e. gr. num. 40, 41, 42, 49, 52 H.).[3] Huius loci etiam magica illa cantilena esse videtur, quam Cato, de agr. cult. c. CLX memoriae servavit.

---

[1] Cf. *Neue Jahrbücher für das klass. Altertum* 1907, p. 302, ubi Lud. Deubner rettulit de libro E. W. Anitschkoff, *Das rituelle Frühlingslied im Westen und bei den Slaven, Teil II, St. Petersburg* 1905: *In Anlehnung an Bücher, aber zugleich mit einer evident richtigen Weiterbildung seiner Theorie, erblickt der Verfasser im Rhythmus des Liedes den Energieerreger, der auf die Zauberaktion des Ritus genau so stimulierend einwirkt wie auf den Gang der Arbeit. Ja, man braucht eine solche Unterscheidung von Arbeitslied und rituellem Lied eigentlich gar nicht zu machen, denn für den primitiven Menschen ist der Zauber — praktische Arbeit zu bestimmten ökonomischen Zwecken.*

[2] Quamquam multum abest, ut omnes iterationes vocales a corporum movendorum numeris repetere audeam. De hac re conferas Behaghel in *Beiträge zur Geschichte der deutschen Sprache* XXX (1905), p. 553, 558, 562.

[3] Incantamentum, cui moliendi et leniendi vis inerat, Graece dicebatur ἐπῳδή. Eadem vox ad versum intercalarium significandum in usu erat. Quarum notionum nescio an altera cum altera facile coniungi possit. Nam primum fortasse modi intercalarii, qui aliis versibus ἐπῄδοντο ita significabantur. Deinde cum vel in operariis vel in magicis cantilenis illorum modorum effectus et levamentum cognitum esset, vox ἐπῳδή ad ea imprimis carmina, quae ad noxia tollenda canebantur, translata est.

Vita

Natus sum Ioannes Hinrichs d. 27. m. Ianuarii a. 1882. in oppido Hassiaco Lichtenau patre Christophoro matre Catharina e gente Buchtenkirchen. Fidei addictus sum evangelicae. Litterarum elementis instructus gymnasium Budingense frequentavi. Maturitatis testimonium vere a. 1901. adeptus sum. Deinde Monaci, Bonnae, Kiliae, Gissae per decies senos menses philologicis studiis incubui. Kiliae et Gissae seminarii exercitationibus interfui. Docuerunt me hi viri: Behaghel, Bethe, Elter, Erdmann, Furtwaengler, Groos, Lipps, Loeschcke, Milchhoefer, Iw. Mueller, Paul, Radermacher, Sauer, Sudhaus, Usener, Vollmer, Wendland, Woelfflin, Wuensch. His omnibus viris magnam gratiam debeo, maximam Ricardo Wuensch, qui pro sua liberalitate me in conscribenda hac dissertatione benignissime adiuvit.